

SELECTED TEXTS

Edited by K.M.Fredborg, N.J.Green-Pedersen, Lauge Nielsen & J. Pinborg.

Table of contents

1. PRAEAMBULA-----	1
1.1 Scientia de signis-----	2
1.1.1 U. possit esse scientia de signis-----	2
1.1.2 U. scientia de signis debeat dividi ex opposito contra scientiam de rebus-----	6
1.1.3 U. omnis scientia quae est de ente significato sit de eo accepto sub ratione veri an sub ratione boni-----	7
1.2 De sermone-----	8
1.2.1 U. possit esse scientia de sermone -----	9
1.2.2 U. scientia de sermone sit naturalis-----	11
1.2.3 U. sit necesse habere scientiam de sermone-----	13
1.2.4 U. possit esse scientia de sermone in communi-----	17
1.2.5 Quot sint scientiae de sermone-----	20
1.3 De scientiis sermocinalibus-----	21
1.3.1 De nobilitate scientiae de sermone-----	21
1.3.2 De ordine scientiarum sermocinalium-----	22
1.3.3 De ordine grammaticae ad logicam-----	23
1.3.4 U. grammatica subalternet logicam-----	24
1.4 De grammatica-----	27
1.4.1 U. grammatica sit ars vel scientia-----	27
1.4.2 U. grammatica sit una vel plures-----	29
1.4.3 U. sit speculativa vel practica-----	30
1.4.4 U. sit localis inventiva vel iudicativa-----	32
1.4.5 De subiecto grammaticae-----	34
1.5 De divisione grammaticae-----	41
1.5.1 Quot sint partes grammaticae-----	42
1.5.2 U. de syllaba et accentu debeant esse scientiae separatae-----	43
1.5.3 U. debeant esse diversi libri de dictione et oratione---	45
1.6 Accessus ad Priscianum-----	46

2. DE DICTIONE ET PARTIBUS ORATIONIS-----	49
2.1 De institutione vocis-----	49
2.1.1a An sit possibilis institutio vocis ad significandum----	49
2.1.2a U. institutio fiat in voce sensibili exteriori aut in voce mentali interiori-----	52
2.1.3a U. sit necesse quod voci sensibili uniatur res significanda vel eius species intelligibilis-----	53
2.1.4a Quomodo intellectus uniatur voci-----	53
2.1.1b-4b: Solutio ad 2.1.1a-4a-----	56
2.1.5 U. in omni voce possit fieri institutio-----	64
2.1.6 In qua voce humana fiat primo institutio-----	66
2.1.7 U. voces possint institui ad significandum non ens-----	67
2.1.8 U. vox possit institui ad significandum quodlibet genus entis-----	68
2.1.9 U. dictio, postquam significat aliquod ens, eo corrupto amittat suam significationem-----	71
2.1.10 U. vox post institutionem possit amittere suam significationem-----	71
2.1.11 Cuius sit instituere voces ad significandum-----	73
2.1.12 Quis sit finis institutionis-----	79
2.1.13 Quid sit forma dictionis-----	79
2.2 De dictione in se-----	81
2.2.1 Propter quid agit Priscianus in eodem libro de syllaba et dictione; propter quid Priscianus non tradat com- positionem vocis et significationis; quare potius fiat institutio in voce; u. sint aliqua accidentia dictionis in communi-----	81
2.2.2 De definitione dictionis-----	84
2.3 De oratione-----	88
2.3.1 Quare Priscianus hic ponat definitionem orationis-----	88
2.3.2 U. oratio sit definibilis-----	89
2.3.3 De definitione orationis-----	90
2.3.4 U. congruitas causetur a generalibus modis significandi-	92
2.3.5 U. significatum faciat ad congruitatem-----	95
2.3.6 De causis perfectionis-----	96
2.3.7 U. perfectum supponat congruum-----	98

2.3.8 Quare oratio perfecta dividatur per differentias sumptas a parte verbi-----	100
2.4 De numero partium orationis-----	101
2.4.1 U. sit ponere unam partem orationis ad quam omnes aliae reducantur-----	101
2.4.2 An plures debent esse duabus-----	103
2.4.3 U. dialectici tantum ponant duas partes orationes-----	105
2.4.4 Quare articulus non est pars orationis apud Latinos----	106
2.4.5 Sufficientia partium orationis-----	107
2.5 De proprio nominis-----	108
3. DE NOMINE-----	119
3.3.1 Quid sit accidens nomini-----	119
3.3.2 De numero accidentium nominis-----	122
4. DE ACCIDENTIBUS REALIBUS VEL NOMINALIBUS-----	127
5. DE VERBO-----	129
5.1 De definitione verbi-----	129
5.1.1 U. verbum sit pars orationis-----	132
5.1.2 An verbum sit pars separata a nomine-----	132
5.1.3 Quo distinguatur verbum ab aliis partibus orationis----	133
5.1.4 De definitione verbi-----	136
5.2 De commendatione definitionis-----	137
5.2.1 U. verbum significet agere et pati-----	137
5.2.2 De significato verbi substantivi-----	137
5.4 De accidentibus verbi-----	141
5.4.1 U. accidentia verbi insint ei gratia significati principaliter aut ab impositione aut ab intellectu----	141
5.4.2 Sufficientia accidentium verbi-----	142

ROBERTI KILWARDBY
QUOD FERTUR
COMMENTII SUPER PRISCIANUM MAIOREM
EXTRACTA

1. Praeambula

A=Cambridge, UL Peterhouse 191 f.1ra-5va
B=Cambridge, UL Peterhouse 206 f.308ra-312vb
C=Cambridge, UL Kk III.20 f.25ra-36ra

1.0

Sicut scribitur in primo Posteriorum: Quod non est non contingit scire^A. Quare si aliquid scitur illud est ens. Ens autem scitum duplex est. Quoddam est ens cuius usus est in significando et tale ens dicitur signum alterius entis. Et quoddam est ens cuius usus non est in significando et tale ens dicitur res significata tantum. Et ideo scientia omnis aut est de signis aut de rebus significatis et hoc est quod dicit Augustinus in libro De Doctrina Christiana: Quod omnis scientia aut est de rebus significatis aut de signis^B.

Res autem significatae dupliciter accipiuntur, uno modo sub ratione veri speculabilis¹ tantum, et sic sunt subiectum philosophiae naturalis communiter dictae, ut dicitur philosophia naturalis scientia quae est de rebus quarum principium est natura communiter dicta ad naturantem et naturatam²; philosophia enim naturalis naturales res considerat sub ratione veri. Alio modo est considerare res significatas sub ratione boni operabilis, et sic sunt subiectum philosophiae moralis quae est de bono ab homine operabili ut de virtute et felicitate³.

Scientia vero quae est de signis dicitur rationalis⁴ secun-

1 spectabilis B speculativi A. 2 naturantem et naturatam: naturam et naturatam C naturantem et naturam A. 3 virtute et felicitate: veritate et falsitate A. 4. multiplex A.

dum quod ab aliis distinguitur. Nam signum multipliciter dicitur ut postea patebit.

In easdem tres partes potest dividi scientia a parte principiorum rerum de quibus sunt scientiae. Sunt enim tria rerum principia, scilicet natura communiter dicta, voluntas cum eligentia, et ratio. Natura est principium rerum naturalium. Voluntas cum¹ eligentia rerum moralium ut habituum bonorum vel malorum et operationum. Ratio est principium rerum rationalium ut sermonum.

De rebus primo modo est scientia naturalis, de rebus secundo modo moralis, de rebus tertio modo scientia rationalis, et sic patet divisio scientiae per comparisonem ad principia rerum de quibus est.

Sed priusquam descendamus ad divisionem scientiae rationalis occurrunt dubitationes circa primam divisionem.

1.1 Scientia de signis

1.1.1

Et quaeritur primo an possit esse scientia de signis et videtur quod non.

1. Nulla scientia est de sensibilibus. Sed signa sunt sensibilia. Ergo nulla scientia est de signis. Maior patet ex primo Posteriorum ubi dicitur: quod singularium non est scientia^A. Minor patet per definitionem signi sumptam ab Augustino in libro De Doctrina Christiana, quae est: Signum est res quae praeter speciem quam ingerit² sensibus aliud facit in cognitionem³ venire^B, et sic signum habet speciem quam ingerit sensibus et omne tale est sensibile et sic patet minor.

2. Ad idem: Nullus habitus infallibilis est de fallibilibus et incertis. Sed scientia est habitus infallibilis, ut habetur ex primo Posteriorum^C. Ergo etc. Sed signa sunt fallibilia et incerta, ergo non est scientia de signis; quod signa sint fallibilia et incerta patet in signis rhetoricis.

1 est AB. 2 ingerit Aug. magis AB iungit C. 3 cogitationem Augustin.

A APo 81b6. B Aug. De doct. chr. II.1.1. C Fortasse APo 87a31; loob8.

3. Ad idem: Nulla scientia est de falso. Sed signorum quaedam sunt vera, quaedam falsa. Ergo non est scientia generaliter de signis. Maior patet ex primo Posteriorum^A, quia quod non est non contingit scire. Falsum autem non est. Minor patet discurrendo per signa diversa; orationum enim quaedam sunt verae, quaedam falsae et sic de aliis signis.

Oppositum videtur per divisionem scientiae datam ab Augustino in libro De Doctrina Christiana, quae talis est: Scientiarum quaedam est de rebus, quaedam de signis^B.

Ad hoc dicendum quod diversae sunt scientiae de signis. Signorum enim quaedam significant aliquid ex institutione et quaedam significant¹ naturaliter ut effectus generaliter sive sit convertibilis sive non convertibilis cum sua causa est signum suae causae. Quod patet tam in genere naturae quam in genere moris.

In genere naturae fumus est signum ignis non convertibile et defectus luminis sive eclipsis a corpore luminoso est signum interpositionis tenebrosi corporis.

Similiter in genere moris delectatio, quae est in operationibus, est signum habitus voluntarii, sicut dicit Philosophus in secundo Ethicorum^C ubi dicit quod oportet signa facere habituum delectationem vel tristitiam² in operationibus.

Et sic patet quod effectus generaliter est signum suae causae. Unde Philosophus primo Posteriorum demonstrationes factas per effectum vocat syllogismos per signa^D in illa parte: QUONIAM AUTEM EX NECESSITATE SUNT CIRCA UNUMQUODQUE^E.

Secundum quorundam expositionem signorum vero quae significant ex institutione quaedam sunt instituta ad significandum tantum, quaedam sunt instituta ad significandum et sanctificandum. Signa ultimo modo sunt signa legis divinae de quibus nihil ad praesens.

1 +aliquid B. 2 delectationem vel tristitiam: declarationem+lac. AB delectationem fieri C.

A APo 71b25-26. B Aug. De doct. chr. I.2.2. C EN 11o4b4-5. D APo 75a33. E APo 75a28.

Quae autem sunt instituta ad significandum tantum quaedam sunt voces, de quibus dicit Philosophus quod¹ sunt notae passionum, quae sunt in anima^A, notae, i.e. signa voluntarie² instituta ad repraesentandum passiones animae. Hoc enim exprimitur nomine notae secundum Philosophum. Dicit enim quod naturaliter nomen³ nihil est^B, sed tunc quando fit nota i.e. quando instituitur ad significandum. Et de talibus signis est scientia rationalis quia rationis est componere partes vocis et ordinare et ad significandum instituere, non naturae vel moris, ut postea patebit.

Quaedam autem sunt res ut signa⁺ metaphysica⁴⁺ sicut sunt gestus et nutus corporei, circuli et imaginationes de quibus nihil ad praesens. Dicendum ergo quod scientia est de signis.

1. Ad primum obiectum dicendum quod minor est duplex, quia signum potest dupliciter accipi. Uno modo sub ratione signi et est sic obiectum intellectus apud quem aliquid derelinquit, sicut habetur ex ultima parte definitionis signi superius posita. Alio modo secundum substantiam et hoc dupliciter, uno modo secundum esse materiale et sensibile et sub ratione qua est hic et nunc, et sic est sensibile, et hoc modo non est scientia de signis. Alio modo potest considerari signum sub ratione universalis abstracti a particularibus signis, et sic cum habeat rationem universalis potest esse scientia de signo.

Potest⁵ etiam dici quod ista definitio non est universaliter vera de quolibet signo quia passiones animi sunt signa rerum et tamen non ingerunt speciem suam sensibus.

2. Ad secundum dicendum quod minor duplex est eo quod signa possunt dupliciter considerari, uno modo quantum ad actum significandi et sic sunt infallibilia, eo quod semper significant ea quae nata sunt significare, aliter enim non essent signa. Alio modo possunt considerari quantum ad ea quae significantur per ipsa quantum ad actum iudicandi per ipsa, et sic quandoque

1 quaedam AB. 2 voluntate A. 3 nomen C lac. B. 4 mathematica C in ethica A. 5 posset A.

sunt falsa et fallibilia, et habitus generatus per signa secundum quod huiusmodi non est habitus qui est scientia sed potius phantasia vel opinio.

3. Ad tertium dicendum [quod] respiciendo¹ ad minorem quod duplex est veritas signi, quaedam est essentialis signo in quantum signum est, et haec veritas debetur ei ab actu significandi. Cum enim significat signum id quod debet significare sive id sit sive non sit, verum est signum² quia significat illud quod natum est significare. Et haec veritas est signo essentialis et non habet oppositum nisi per negationem, quia haec veritas est signi ipsius essentialitas³. Enti autem non opponitur nisi non ens. Alia est veritas signi accidentalis quae debetur signo ratione rei significatae, verbi gratia oratio dicitur vera non solum quia significet id quod nata est significare, et haec est veritas essentialis, sed quando significat quod est esse et quod non est non esse, et haec veritas est accidentalis cui opponitur falsitas contrarie vel privative. Et loquendo de tali veritate et falsitate sibi opposita, signorum quaedam sunt vera, quaedam falsa. Sed numquam est scientia de signis falsis in quantum falsa sunt, sed in quantum signa sunt, et hoc modo debetur eis veritas essentialis.

Vel potest dici aliter⁴ quod scientia potest esse alicuius dupliciter, aut sicut subiecti, et sic non entis et falsi non est scientia, vel sicut oppositi subiecto et sic tam non entis quam falsi potest esse⁵ scientia. Oppositorum enim eadem est disciplina ut dicit Philosophus^A, unius tamquam eligendi et alterius tamquam fugiendi, et sic tam verorum quam falsorum signorum potest esse scientia, sed verorum sicut subiecti, falsorum sicut oppositi.

1 respondendo BC. 2 significatum AB. 3 entitas C. 4 Vel...aliter: potest etiam dici BC. 5 potest esse: est BC.

A e.g. Top. 1o5b33; Metaph. 1oo4a9.

1.1.2

Tunc quaeritur secundo utrum scientia de signis debeat dividi ex opposito contra scientiam de rebus.

1. Et videtur quod non, quia ut dicit Boethius res et ens convertuntur, sed omnis scientia est de ente, ergo est de rebus.

2. Item: quorumcumque est eadem cognitio, eorum est eadem scientia, quia omnis scientia est cognitio. Sed signi et significati est eadem cognitio definitiva, quia sunt correlativa et relativorum qui cognoscit unum cognoscit reliquum. Ergo signorum et significatorum est eadem scientia.

Sed contra: Scientia est de rebus solum per comparisonem ad principia. Ergo quorum sunt diversa principia erunt diversae scientiae. Sed rerum significatarum et signorum sunt diversa principia, quia rerum significatarum sunt principia natura vel mos; signorum autem rationalium principium est ratio. Quare de rebus significatis et signis est scientia alia et alia.

Dicendum quod signorum quaedam sunt in genere naturae, ut effectus naturalis qui est signum suae causae. Quaedam vero in genere moris, sicut operationes exteriores sunt signa bonae vel malae voluntatis, quae est principium in moralibus. Et talia signa non significant ex institutione, et de talibus signis non est scientia separata a significatis¹; scientia enim de talibus signis est naturalis vel moralis. Aliud est signum cuius principium effectivum et completivum est ratio, et dicitur signum rationale quia est instrumentum quod ratio sibi format ad exprimendum affectus vel conceptus, et de talibus signis est scientia separata a significatis.

1. Ad primum igitur argumentum dicendum quod res sumitur dupliciter. Uno modo stricte et proprie ut dicitur 'res' id solum cuius usus non est in significando et 'signum' res cuius usus est in significando et sic res et signum opponuntur sicut eorum definitiones. Alio modo sumitur² res communiter ut dicatur res

1 signis A. 2 potest sumi BC.

omne illud quod est ordinabile in praedicamento per se vel per accidens vel consequens ordinabilia in praedicamento, et hoc modo res et ens convertuntur et non primo modo, et sic omnis scientia est de rebus sicut omnis scientia est de ente, et sic non dividitur scientia de signis contra scientiam de rebus.

2. Ad secundum dicendum quod signum et significatum duobus modis possunt considerari, uno modo secundum id quod sunt et sic eorum non est eadem cognitio nec scientia, et sic non dicuntur relative. Alio modo secundum rationem signi et significati, et sic est eorum eadem cognitio et scientia, quia non potest cognosci signum in quantum signum quin cognoscatur significatum in quantum significatum.

1.1.3

Consequenter quaeritur de subdivisione alterius membri, quae est quod¹ omnis scientia quae est de ente significato aut est de illo accepto sub ratione veri aut accepto sub ratione boni.

1. Et videtur quod ista divisio nulla² sit, quia sicut dicit Philosophus in tertio libro De anima "sine actu verum et falsum in eodem genere sunt bono et malo^A" et sic sunt idem bonum et verum.

2. Et hoc idem dicit Boethius "verum et bonum sunt idem in substantia", quare scientia de bono et vero erit scientia una et eadem, et sic non valet illa divisio.

Contra: Scientia est secundaria perfectio intellectus secundum utramque sui potentiam. Sed duplex est potentia animae intellectivae, una speculativa et alia practica. Ergo scientia erit perfectio animae intellectivae quantum ad potentiam speculativam et practicam. Sed potentia speculativa non perficitur nisi in veri cognitione ut dicit Avicenna^B per se loquendo, practica vero in boni ademptione. Ergo erit alia scientia qua

1 om. BC. 2 nihil A.

A An. 431blo. B cf. Avic. Logica fol. 2rb; Met. I c.1; Gundissalinus, De div. phil. (ed. Baur) p. 17, 15-18.

mediante perficiatur anima rationalis quo ad cognitionem veri et alia qua perficietur quantum ad ademptionem boni. Prima dicitur speculativa, secunda practica seu moralis.

Quod est concedendum.

1. Ad obiectum dicendum quod verum et bonum dupliciter possunt considerari, uno modo secundum id quod sunt et absolute, et sic sunt omnino idem verum et bonum sine actione quia sic intelligit Philosophus. Alio modo in comparatione¹ ad potentias animae quas movent et perficiunt, et sic non sunt idem, immo differunt sicut potentiae quas perficiunt, et sic habent rationem obiecti, non subiecti. Unde in ratione obiecti differunt, non in ratione subiecti, quia idem sunt in subiecto.

Per hoc patet solutio. Non enim verum et bonum se habent respectu scientiae in ratione subiecti proprie, sed potius dicunt rationem subiecti scibilis ut est ordinatum ad perficiendum animam.

Per hoc patet solutio cuiusdam quaestionis communis, quae solet fieri, scilicet quare omnis scientia est de ente sub ratione veri aut de ente sub ratione boni. Quia enim omnis scientia est ad perficiendum animam secundum utramque sui potentiam, speculativam scilicet et practicam, et speculativa perficitur per verum, practica per bonum, ideo omnis scientia quae de ente est aut est de ente accepto sub ratione veri vel accepto sub ratione boni, plusquam accepto² sub ratione aliarum differentiarum entis.

1.2 De sermone

Quia ex dictis patet quod de³ vocibus significativis ex institutione est scientia rationalis, voces autem sic significativae idem sunt quod sermo, ideo adhuc magis specialiter quaerendum est, utrum de sermone possit esse scientia. Secundo dato quod sit, an sit necessarium habere scientiam de sermone. Tertio an sit naturalis. Quarto utrum possit esse una scientia de sermone.

1 in comparatione: per comparationem C quantum A. 2 de ente BC.

3 ex A om. B.

1.2.1

Circa primum sic proceditur: Omne subiectum scientiae est universale, ut habetur ex primo Posteriorum, ubi dicitur in fine, quod universale quiescens in anima est principium artis et scientiae^A. Sed sermo non est quid¹ universale, sed particulare², cum sit obiectum³ auditus. Ergo etc.

2. Item: Omne⁴ subiectum scientiae est idem apud omnes, quia est universale, sicut dictum est. Sed voces non sunt eadem apud omnes ut dicit Philosophus in libro Perihermeneias^B. Ergo voces non erunt subiectum alicuius scientiae. Ergo nec sermo, cum omnis sermo sit vox.

3. Ad idem: Omne subiectum scientiae est necessarium. Sermo non est ens necessarium. Ergo non est subiectum scientiae. Maior patet ex primo Posteriorum, ubi dicitur quod omne illud cuius est scientia impossibile est aliter se habere^C, et sic est necessarium. Minor patet ex secundo Physicae, ubi dicitur quod quae sunt a natura sunt de necessitate, quae ab intellectu sunt ut in pluribus et frequenter et non de necessitate^D. Sed sermo est ab intellectu vel ratione, et sic non est de necessitate, et ita non est ens necesse. Et sic probata est minor.

Oppositum videtur: Omne illud potest esse subiectum scientiae quod habet partes et proprietates probandas de partibus per principia subiecti et proprietatum. Sermo est huiusmodi. Ergo sermo potest esse subiectum scientiae. Maior patet ex primo Posteriorum, ubi dicitur quod una est scientia quae est unius generis subiecti cuius sunt⁵ partes et passionες probandae⁶ de partibus per se^E. Minor patet quia sermo habet partes ut litteram, syllabam, dictionem et orationem. Habet etiam passionες probandas de huiusmodi partibus per propria principia,

1 om. BC. 2 singulare BC. 3 om. AB. 4 om. A. 5 cuius sunt: om. A.
6 considerans A.

A APo 100a7-9. B cf. de int. 16a8. C APo 71b15. D cf. APo 95a1-6.
E APo 87a38-39.

ut patebit infra, unde possunt probari aliquae passiones de vocalibus, aliae de consonantibus, et sic de aliis partibus sermonis. Et sic sermo potest esse subiectum scientiae.

Dicendum quod sermo tripliciter habet esse: in scripto, in¹ pronuntiatione et in mente. In scripto habet esse visibile, in pronuntiatione esse audibile, et hoc dico quantum ad substantiam vocis, non quantum ad substantiam significationis, quia illa tantum intelligitur. Tertio modo habet esse intelligibile, et sic habet² universale et est idem apud omnes et ens necessarium, et sic est subiectum scientiae, non primo modo vel secundo.

Et per hoc patet solutio ad rationes factas ad oppositum, nam omnes procedunt de sermone secundum quod habet esse sensibile in scripto vel pronuntiatione. Sed tunc est quaestio de orthographia et prosodia, quia videtur quod non sint scientiae, cum sint de sermone in scripto et pronuntiatione.

Ad quod potest dici quod³ non sunt⁴ de sermone in scripto nec⁵ de sermone in pronuntiatione, sed potius orthographia est de ratione et modo scribendi, et prosodia de ratione et modo pronuntiandi. Haec autem sunt universalis et non sensibilia, et sic de illis est scientia, non autem de sensibilibus pronuntiationibus⁶ quae percipiuntur auditu.

Notandum etiam quod sermo est in mente duplex: uno modo per abstractionem a particularibus sermonibus significativis vel non significativis in se, quod dico propter litteras et syllabas quae non significant in se, et sic est subiectum scientiae, quia per hunc modum est universale, et ratio cognoscendi sermones particulares, qui⁷ sunt extra. Alio modo⁸ est sermo in mente per affectum et imaginationem, et sic est principium vocis sensibilis exterioris; virtus enim appetitiva et imaginativa concurrunt ad formationem vocis, sicut dicit Commentator supra II. De anima, capitulo de voce: anima informat vocem sensibilem exteriori iuxta intentionem⁹ vocis impressam in vir-

1 est AB om. C. 2 sic habet: om. C. 3 +orthographia BC. 4 est BC.
5 +prosodia BC. 6 pronuntiationibus C pronuntiandi A. 7 non A. 8 alio modo: quomodo AB. 9 impressionem AB.

tute appetitiva et imaginativa^A. Et haec formatio est ut in pluribus et frequenter et non de necessitate.

Et per hoc posset solvi ratio ultima facta ad partem oppositam, cum dicitur quod sermo est ab intellectu et ita ut in pluribus et frequenter.

Notandum etiam¹ quod intellectus est principium duplicis operationis, quia intellectus unitur corpori sicut motor mobili, et sic est principium operum quae fiunt per corpus, ut sunt ambulare ad forum, facere domum, archam et huiusmodi; quae sic² sunt ab intellectu sunt ut in pluribus et frequenter et non de necessitate, quia sic movens non movet nisi voluntarie, et voluntas ut voluntas est causa indeterminata. Item intellectus est principium intellectualis operationis, cuius materia est universale abstractum a singularibus per actionem intellectus, et quod sic est ab intellectu est de necessitate, quia intellectus secundum hunc modum consideratur ut ratio. Ratio autem ut ratio determinatur ad unum tantum per modum necessarium. Et propter hoc quae sunt ab intellectu, in quantum intellectus accipitur ut ratio, sunt de necessitate.

Et per hoc patet solutio tam ad quaestionem quam ad argumenta.

1.2.2

Circa secundum³ proceditur sic:

1. Et videtur quod scientia de sermone sit naturalis, quia principium sermonis est natura. Igitur scientia de sermone est naturalis. Probatio consequentiae patet per Algazelem dicentem quod naturalis philosophia est de rebus quae exeunt in esse ab operatione naturae et praeter opus nostrum^B. Praemissa patet quia principia sermonis sunt anima, lingua, palatum et os et aer materia, et haec omnia naturalia sunt. Et ita principium sermonis est natura communiter dicta.

1 tamen est A. 2 si A. 3 hanc quaestionem post qu. 1.2.3 transposuit C.

A Averroes in An.II c.90, sed valde implicite. B Algazel Metaph.I cap. 1, sed valde implicite.

2. Item: scientia de objecto visus est naturalis. Similiter scientia de objecto gustus, olfactus et tactus. Ergo similiter scientia de objecto auditus est naturalis. Sed sermo est obiectum auditus. Ergo etc.

Contra: Nulla scientia quae est de rebus exeuntibus in esse ab opere nostro est naturalis. Sed sermo exit in esse ab opere nostro. Ergo etc. Maior patet per Algazelem dicentem quod philosophia naturalis est de rebus quae exeunt in esse ab opere¹ naturae et praeter opus nostrum, sicut dictum est supra. Minor patet quoniam instituere vocem ad significandum, componere, dividere et conferre sunt opus rationis, et ita cum haec debeantur sermoni², scientia de sermone erit rationalis.

Quod est concedendum. Sed ex hoc videtur sequi quod scientia de sermone sit practica, cum sit de rebus quae exeunt in esse ab opere nostro. Dicendum quod ratio ut ratio est principium sermonum, non in quantum substantia vel natura. Nam si sic, tunc omnes aequaliter haberent scientiam de sermone, cum ratio in quantum substantia vel natura aequaliter sit in omnibus. Est ergo de sermone scientia rationalis, quia eius principium effectivum est ratio.

1. Ad primum dicendum quod in sermone tria est considerare, scilicet materiale principium, quod est vox, et significationem et eorum copulationem³. Quoad primum sermo habet esse naturale, sed quoad secundum et tertium habet esse a ratione, quia non est scientia de sermone rationalis gratia vocum absolute, sed in quantum significativa⁴ vel ordinata ad significandum ex institutione. Quod ergo obicitur quod sermonis principium est natura hoc est verum quantum ad materiam, sed quantum ad formam eius principium effectivum et proximum est ratio, et ideo scientia de illo⁵ est rationalis.

2. Ad secundum dicendum quod non est simile, quia obiecta quattuor sensuum particularium nihil habent nisi naturale, et

1 operationibus A operatione B. 2 praepositi A. 3 complexionem C significationem A. 4 scilicet vox. 5 illa AB sermone C.

ideo scientia de his est naturalis tantum. Sed sermo habet aliquid quod non est naturale, scilicet significationem, et ideo scientia de sermone non est naturalis.

Ad ultimum dicendum quod scientia de sermone secundum quosdam non est speculativa nec practica, sed ut speculativa et ut practica. Est enim quasi adminiculativa ad has. Sed potest dici magis speculativa quam practica, quia complementum sermonis est a ratione ut ratio est, quae potius dicitur virtus speculativa quam practica.

1.2.3

Circa tertium sic proceditur:

Et videtur quod non sit necesse habere scientiam de sermone:

1. Scribitur in II. De anima quod lingua congruit naturaliter in duo opera, videlicet in gustum et locutionem^A. Sed locutio est sermo significativus. Ergo naturaliter congruit in sermone significativo. Ergo necesse non est secundum hoc habere scientiam de sermone.

2. Item: Non est scientia quae doceat videre vel tangere, quia unusquisque scit hoc naturaliter. Ergo non debet esse scientia, quae doceat loqui, cum loqui sit a natura¹. Si dicatur quod non est scientia quae doceat loqui, sed quae doceat recte loqui, tunc eadem restat obiectio, quia non est scientia quae doceat recte videre vel recte tangere. Ergo non debet esse scientia quae doceat recte loqui.

3. Item: Universale habens ortum a sensu est principium artis et scientiae, ut habetur in fine Posteriorum. Ergo sensus principium est veniendi in omnem scientiam. Ergo ad habendum scientiam de sermone non est sermocinalis scientia necessaria.

4. Ad idem: Ad habendum scientiam complete sufficiunt ista tria, scilicet intellectus, intelligibile et unio. Sed haec tria possunt esse in unoquoque praeter sermonem. Ergo non est necesse habere scientiam de sermone ad sciendum alia.

¹ a natura: naturaliter BC.

A An. 42ob17.

5. Item: Si esset scientia de sermone contingeret abire in infinitum. [Probatio:] Ergo non est scientia de sermone. Prima consequentia patet: in I. Posteriorum dicit Aristoteles quod ante omnem scientiam oportet praecognoscere, quid est quod dicitur, id est quod significatur, per vocabulum^A. Ergo si est scientia de sermone, tunc ante istam oportet praecognoscere quid est quod dicitur per vocabulum et non nisi per scientiam dicentem quid est quod dicitur per vocabulum. Et sic esset abire in infinitum.

6. Item: Videtur quod nullus posset docere sine sui scientiae diminutione, quia omne quod fit in aliquo ab aliquo illud non remanet in eo a quo fit, sed servatur in eo in quo fit, sicut patet de semine quod est principium materiale generati-
onis, quia non manet in generante, sed fit in alio. Similiter rivulus egrediens a fonte non est in eo, sed in alio. Sed doctrina causa¹ est mediante² qua³ fit scientia a doctore in discipulo. Ergo scientia quae fit mediante doctrina non manebit in doctore, sed fiet in discipulo. Et ita nullus docebit⁴ sine suae scientiae diminutione.

Ad oppositum:

1. Philosophus in II. Elenchorum dicit quod omne quod quis novit, inveniens vel addiscens novit^B. Sed nullus novit addiscendo ab altero proprie nisi per sermonem scriptum vel pronuntiatum. Igitur oportet esse scientiam de sermone in scripto vel pronuntiatione.

2. Item: De omni eo est scientia necessaria circa quod contingit intellectum errare et dirigi, quia intellectus non dirigitur nisi per scientiam. Sed circa sermonem contingit errare et dirigi. Ergo necessaria est scientia de sermone.

Haec pars quaestionis⁵ est vera, unde multiplex est necessitas habendi scientias de sermone, una propter se, alia prop-

1 doctrina causa: doctrinatio BC. 2 motus BC. 3 quo BC. 4 doctor AB.
5 conclusionis C.

ter alias scientias. Propter se multipliciter: una ratio est quia circa sermonem contingit hominem errare et dirigi tam circa eius compositionem quam circa eius veritatem quam circa eius ornatum. Et ideo necesse fuit habere scientiam de sermone, sicut obiectum est.

Item: Homo est animal domesticum rationale, sicut dicit Avicenna, et necesse habet aliquando exprimere alii suas voluntates¹, et hoc non potest facere nisi per signum aliquod. Cum igitur signum proprium expressivum voluntatis sit sermo, necesse est quod homo utatur sermone. Et quia in sermone potuit multipliciter errare, necesse fuit habere scientias, quae hominem dirigerent in sermone.

Item: propter scientiae manifestationem, unde scribitur I. Veteris Metaphysicae: signum scientis est posse docere^A.

Item: propter scientiae usum qui fit mediante sermone.

Item: propter scientiae generationem, intellectus enim possibilis est in potentia ante scientiam ad scientiae acquisitionem; in potentia dico essentiali ante addiscere, sed in potentia accidentali post addiscere, ut dicit Philosophus. Cum² est in potentia essentiali eget motore essentiali, quo exeat in actum, et iste motor est doctor. Et sic mediante sermone generatur scientia. Sermo enim³ bene audibilis causa est doctrinae.

Item: valet ad retentionem scientiae, quia sermo scriptibilis⁴ est et⁵ scriptura manet et ea mediante redimus ad memoriam. Et hae sunt utilitates⁶ scientiae de sermone in se.

Item propter alias scientias facilius acquirendas: cum enim scientia acquiratur dupliciter, per inventionem et doctrinam, facilius acquiritur per doctrinam quam per inventionem, et sic est utilis scientia de sermone.

Item: scientiae de sermone tradunt modum procedendi, sicut definiendi, dividendi, colligendi, aliis scientiis, quae de

1 voluntates: +et suas necessitates BC. 2 quare cum C quia tamen B.
3 autem A. 4 scibilis A. 5 ut A. 6 virtutes A.

rebus sunt. Unde sunt tamquam linguae earum, ut dicit Avicenna et Commentator supra II. Metaphysicae, quia multi erraverunt eo quod nesciverunt logicam^A. Et sic patet quod propter alias scientias scientiae de sermone sunt necessariae, et multae sunt aliae utilitates.

1. Ad primum obiectum dicendum quod congruere naturaliter in locutionem est duobus modis: aut ex facultate naturae et per se aut non per se et sufficienter, sed cum adiutorio doctrinae: Primo modo non congruit lingua in locutionem, sic enim omnia habentia linguam loquerentur. Sed secundo modo congruit.

2. Ad secundum dicendum quod cognoscere contingit dupliciter: per inventionem et doctrinam. Per inventionem cum difficultate, sed per doctrinam cum minori difficultate. Unde scientiae de sermone non sunt necessariae simpliciter ad sciendum nec ad habendum scientiam de sermone, sed ad faciliter sciendum.

3. Ad tertium dicendum quod non est simile, quia videre et tangere secundum sui substantiam et secundum sui rectitudinem est a natura, et ideo non est scientia quae doceat videre recte vel tangere recte. Sed loqui licet secundum sui substantiam sit naturale, tamen secundum rectitudinem est ab arte. Vel potest dici quod loqui non est ex facilitate naturae propriae et per se quod patet in parvulis qui erudiuntur loqui, nec fortasse loquerentur absque eruditione, aut si sic, non loquerentur secundum modum naturae¹, et tamen dubium est si loquerentur.

4. Ad aliud dicendum quod non concludit quod non sit necessaria scientia de sermone, sed quod aliquis posset acquirere scientiam sine sermone, quod est verum. Sed nequaquam poterit docere quis sine sermone scripto vel pronuntiato.

5. Ad aliud dicendum quod haec praecognitio quid est quod dicitur per vocabulum est ante omnem scientiam quae est de rebus significatis, sed non est ante omnem scientiam quae est de sermone, immo alicuius scientiae quae est de sermone est

1 nos' A + certe et recte C.

A Averroes in Metaph. II c.15.

determinare, quid est quod significatur per vocabulum. Vel potest dici quod duplex est scientia: una quae est intelligibilis per medium intelligibile, alia quae est intelligibilis per medium sensibile ante omnem scientiam. Quae est primo modo oportet praecognoscere quid est quod dicitur, sed ante scientiam secundo modo dictam non oportet.

6. Ad ultimum dicendum quod aliquid potest fieri in aliquo ab aliquo multipliciter: uno modo per decisionem partis a parte sicut fit in generatione; alio modo per corporalem emanationem alicuius ab aliquo ut ab origine, et sic rivulus procedit a fonte; tertio modo per diffusionem et multiplicationem sui sine sui deminutione, et sic fit lumen in lucido a corpore luminoso praesente et scientia in discipulo a doctore per quandam infusionem et multiplicationem spiritualem proportionalem diffusioni lucis et eius multiplicationi. Et plures sunt alii modi fiendi aliquid in aliquo vel ex aliquo, sed hi sufficiunt ad solvendum. Dicendum ergo quod illa ratio procedit de illis quae fiunt ab aliquo primo vel secundo modo vel aliis modis consimilibus, non tertio modo.

1.2.4

Circa quantum proceditur hoc modo: Ad unitatem scientiae sufficit unitas subiecti habentis partes et proprietates probandas de partibus, ut habetur primo Posteriorum ubi dicitur quod una est scientia etc.^A. Sed sermo in communi est unum subiectum univocum ad omnes sermones particulares, ergo erit una scientia de sermone in communi.

Item: secundo Metaphysicae: omnium eorum potest esse scientia una quorum est natura una¹ univoca vel analoga^B. Sed² sermo in communi est huiusmodi³. Ergo etc.

Item: de ente in communi potest esse scientia una, similiter

1 +communis C. 2 +omnium sermonum particularium est una natura communis univoca vel analoga, scilicet C. 3 est huiusmodi: om. BC.

A APo 87a38-39. B Metaph. IV 1003b13.

de syllogismo in communi, ergo et de sermone in communi potest esse scientia una.

Adhuc videtur quod tantum una debeat esse scientia de sermone, quia de omnibus proprietatibus naturalibus agitur in scientia una. Quare similiter de omnibus proprietatibus sermonis. Diversitas enim proprietatum non facit diversitatem scientiarum.

Sed contra: De quantitate in communi non est scientia una, licet sit commune praedicabile de qualibet quantitate. Ergo a simili nec de sermone in communi licet sit praedicabile de quolibet sermone particulari.

Item: ad unitatem scientiae et subiecti requiritur¹ unitas principii, quia aliter subiectum non esset unum unitate naturae² quae exigitur ad unitatem subiecti. Unitas enim naturae³ est ab unitate principii, sicut magnitudo dicitur unum unitate naturae⁴, quia habet principium unum a quo tota magnitudo fluit et ad quod reducitur scilicet punctum, et unitas in numero, et terminus in syllogismo, et in ente similiter est ponere aliquod ens primum a quo est omne ens et ad quod reducitur, scilicet causa prima. Sermo autem in communi non habet unitatem naturae, cum non sit ponere in genere sermonum aliquod a quo tamquam a principio effectivo deriventur omnes sermones particulares nec a parte vocis nec a parte significationis, sed in grammatica est ponere materiale principium elementum, a parte significationis intellectus dictionis, in logicis terminum, in rhetoricis orationem. Sed principium aliquod unum a quo omnia determinata in genere sermonis fluant non est ponere. Ergo sermo in communi non potest esse unum subiectum, et ita non potest esse una scientia de sermone in communi.

Item, si talis scientia esset, careret fine debito sermoni et sic inutilis esset. Quare non debuit esse ars vel scientia de sermone in communi. Ars enim nihil facit frustra quemadmodum nec natura. Praemissa patet, quia finis debitus sermoni est ut per ipsum exprimatur affectus animi, quod non potest

1 exigitur BC. 2 materiae AB. 3 materiae A. 4 materiae A.

fieri nisi sermone particulari grammatico, logico vel rhetorico. Ille autem sermo nullus illorum esset cum ab omnibus abstrahe-
ret, ideo fine debito sermoni careret, et ita esset inutilis.

Dicendum quod non potest esse scientia una de sermone in communi, et concedendae sunt rationes quae hoc ostendunt, et causa praecipua est, quia sermo in communi non est unum unitate naturae quod exigitur ad unitatem scientiae et subiecti, et per hoc patet solutio ad omnes rationes.

Tamen ad plenam et perfectam solutionem habendam notandum quod commune quattuor modis est. Uno modo est commune communitate naturae et intentionis praedicabilis, ut magnitudo quae est commune communitate naturae quia habet unitatem principii a quo fluit magnitudo quaelibet et proprietas eius, scilicet punctum et est commune communitate intentionis praedicabilis, quia praedicatur univoce de qualibet magnitudine.

Item est commune communitate intentionis non naturae, ut quantitas est commune communitate intentionis praedicabilis, quia est genus, genus autem univoce praedicatur de contentis sub eo, sed non est commune communitate naturae, quia non est in genere quantitatis unum a quo fluat omnis quantitas.

Item est tertio modo commune communitate naturae, sed non intentionis praedicabilis, sicut ens. Ens enim est commune communitate naturae, quia habet unitatem principii, sed non est commune communitate intentionis praedicabilis, quia non est genus nec species nec differentia, sed primum analogum¹ de substantiis et accidentibus.

Quarto modo est commune aequivocum, quod non est commune communitate intentionis nec naturae.

Dicendum ergo quod commune primo modo et tertio sufficiunt ad unitatem scientiae et subiecti. Secundo modo et quarto non sufficiunt. Et quia sermo est commune secundo modo, ideo non potest esse subiectum unius scientiae, sed plurium.

Et sic patet solutio ad primum et secundum per interemptionem minoris, quia sermo non est unum unitate naturae quod exigitur ad unitatem subiecti.

¹ primum analogum: praedicatur analogice C.

Ad tertium et quartum patet solutio per interemptionem similitudinis, quia tam syllogismus quam ens habent unitatem naturae ratione unitatis principii. Sed sermo in communi non habet huiusmodi unitatem, ideo non potest esse scientia una de sermone in communi; habet enim tantummodo unitatem intentionis praedicabilis.

Item entis in communi sunt proprietates communes praeter eas quae sunt entis particularis ut unum, multum, idem, diversum, per se, per accidens. Sed sermoni in communi nulla est proprietas quae non consideretur in scientia de sermone particulari. Propter hoc¹ non est simile.

Similiter omnes passioness² naturales conveniunt in eisdem principiis, et ideo de omnibus eadem scientia agit. Non sic autem est de passionibus sermonis. Et concedendum est quod diversitas passionum convenientium in principiis non facit diversitatem in principiis, sed diversitas passionum differentium in principiis ratione principiorum diversitatem causa[n]t in scientiis. Et tales sunt congruum, ornatum.

1.2.5

Supponitur igitur³ ex determinatis quod non potest⁴ esse una scientia de sermone in communi sed necessario sunt plures. Tunc quaeritur quot sunt scientiae de sermone.

Ad quod dicendum quod cum sermo sit institutus⁵ ad significandum, hoc non potest esse nisi tribus modis, quia in sermone instituto ad significandum non est considerare nisi tria, scilicet congruitatem et veritatem et decorem sive ornatum. Quare aut est scientia de sermone instituto ad significandum propter congruum eligendum et fugiendum contrarium aut propter verum eligendum et fugiendum contrarium aut propter ornatum eligendum et fugiendum contrarium. Primo modo est grammaticae

1 quod BC. 2 quaestiones A. 3 enim A. 4 posset BC. 5 institutus: signum institutum C institutum B.

subiectum, secundo logicae, tertio rhetoricae, et sic sunt tres scientiae de sermone. Alio modo potest dici secundum Isaac in libro De divisione scientiarum, omnis sermo aut est ordinatus ad significandum tantum aut ad significandum et moderandum, et hoc dupliciter, aut ad moderandum virtutes apprehensivas, quae sunt ratio et intellectus, vel virtutes motivas, quae sunt vis irascibilis et concupiscibilis. Primo modo est subiectum grammaticae, secundo logicae proprie dictae, tertio modo rhetoricae.

1.3 De scientiis sermocinalibus

Supposita divisione scientiarum quae de sermone sunt in grammaticam, logicam, rhetoricam, tunc occurrunt quaestiones communes. Primo de nobilitate, secundo de ordine harum trium ad scientias quae sunt de rebus, tertio de ordine grammaticae ad alias duas, quarto supposito quod grammatica praecedat logicam et rhetoricam, quaeretur¹ an sic praecedat quod subalternet utramque similiter.

1.3.1

Circa primam quaestionem sic proceditur:

Videtur quod nobilior sit scientia de sermone quam de rebus, quia scientiae de sermone regulant scientias de rebus quantum ad modum² definiendi et dividendi. Sed nobilior est scientia regulans quam regulata. Ideo etc.

Contra: scientiae de rebus sunt de nobiliori³ subiecto, et quaedam nobiliori modo traditae, ut mathematicae⁴, et quaedam ad nobiliorem finem, ut moralis, et penes ista attenditur nobilitas in scientiis. Quare scientiae de rebus sunt nobiliores.

Solutio: haec pars quaestionis est vera.

Ad primum dicendum quod scientiam regulare contingit dup-

¹ quaeritur C om. A. ² medium AB. ³ viliori A. ⁴ metaphysicae A.

licititer: uno modo quoad modum procedendi, et scientia regulans alias hoc modo non est nobilior; et sic regulat aliqua scientia sermocinalis alias, ut logica. Alio modo quoad principia per quae proceditur in scientia stabiliendo¹ ea in sua veritate, et sic metaphysica² regulat alias; et quae sic regulat est nobilior regulata.

Et notandum quod nobilitas sermocinalis scientiae ex se patet ex eius continentia, continet enim materiam intelligibilem gratia suae significationis et sensibilem gratia vocis et transmutabilem gratia vocis et permanentem³ gratia significationis. Et omnes res naturales sub his differentiis continentur. Item habet nobilitatem gratia delectationis quae generatur in visu per scripturam et in auditu per vocum concordiam et in intellectu per significationem.

1.3.2

Circa secundum sic proceditur:

Ordo in scientiis causatur ab ordine subiectorum, ut patet in⁴ scientia subalternata et subalternanti⁵. Sed subiectum scientiarum quae de rebus sunt praecedit subiectum scientiarum quae sunt de sermone, prius enim est res quam sermo. Ergo scientiae de rebus praecedunt scientias de sermone.

Contra: scientiae quae sunt de sermone praeparant et disponunt intellectum ad acquirendum scientias quae sunt de rebus. Ergo sunt priores, quia dispositio prior est eo ad quod disponit.

Item: haec praecognitio "quid est quod dicitur" praecedit omnem scientiam demonstrativam, ut habetur in I. Posteriorum^A. Sed haec praecognitio traditur grammaticis. Ergo grammatica praecedit omnem scientiam demonstrativam, et sic omnem scientiam quae est de rebus.

1 stabiliente A +in AB. 2 mathematica AB. 3 permanens AB perma^u C.
4-5 in subalternanti: subalternatae et subalternantis A in scientia subalternatae et subalternantis B in scientia subalternanda et subalternata C.

Dicendum quod ordo in scientiis potest attendi dupliciter: uno modo per relationem ad substantiam de quibus sunt, et sic potest dici quod scientia prior est scientia, cuius subiectum prius est subiecto. Alio modo per relationem ad exitum scientiae in esse, et hoc dupliciter, quia duplex est exitus scientiae in esse: unus via sensus, memoriae et experientiae, et hic¹ est generalis omnis scientiae, et penes hunc non habetur ordo in scientiis, nisi illa scientia dicatur prior, quae primitus est inventa, licet secundum naturam rei, de qua est scientia, sit posterior; multa enim sunt scibilia², de quibus non sunt scientiae, priora his, de quibus sunt scientiae. Alius est exitus scientiae in esse via doctrinae, et sic scientiae de sermone sunt priores scientiis, quae sunt de rebus, prius enim oportet hominem erudiri in trivialibus et postea in naturalibus sive moralibus. Et sic in via doctrinae praecedunt sermocinales. Et per hoc³ patet solutio ad quaesita.

1.3.3

Circa tertium⁴ proceditur sic:

Logica est de sermone relato ad rem, grammatica est de sermone relato ad modos significandi. Sed prior est relatio sermonis ad rem quam ad modum significandi. Ergo logica prior est grammatica. Maior patet, quia logicus circa sermonem per se considerat verum vel falsum, et haec causantur a re, grammaticus congruum vel incongruum, quae causantur a modis significandi. Minor patet, quia sermo per se est signum rei et non modi significandi.

Item: grammatica supponit a logica modum definiendi et dividendi. Ergo est posterior, quia prior natura supponitur a posteriori.

Contra: Subiectum grammaticae prius est subiecto logicae,

1 haec BC hoc A. 2 sensibilia A. 3 per hoc: sic A. 4 secundum AB.

quia sermo ordinatus ad significandum tantum prior est sermone ordinato ad significandum et moderandum. Ergo grammatica est prior logica.

Item: Verum supponit congruum, ut communiter dicitur. Ergo logica quae considerat verum in sermone supponit grammaticam quae considerat congruum.

Item: Grammaticus componit orationem congruam et perfectam, qua communiter utitur logicus et rhetoricus. Ergo est prior.

Dicendum quod grammatica praecedit logicam tum ratione subiecti de quo est, tum ratione passionis ostensae, quae est congruitas et perfectio, tum quia isti actus qui sunt recte scribere, recte pronuntiare, qui sunt actus grammaticae, praecedunt istos qui sunt componere et conferre, qui sunt actus logicae, tum quia exitus eius in esse per viam doctrinae prior est quam exitus logicae, et ita simpliciter praecedit. Potest tamen dici quod secundum quid logica praecedit grammaticam et omnem aliam scientiam, scilicet¹ quantum ad hoc quod ministrat omni² scientiae modum procedendi, definiendi, dividendi, colligendi. Et haec prioritas est quo³ et non simpliciter.

Ad primum dicendum quod logica non est de sermone relato ad rem tantum, sed de sermone relato ad rem sub debitis modis significandi. Hos modos considerat grammaticus per se et primo. Unde licet esset prior relatio sermonis ad rem quam ad modum significandi, tamen prior est relatio sermonis ad modum significandi, quam grammaticus considerat, quam sit relatio sermonis ad rem sub modo significandi. Et potest convenienter dici quod sermo per prius repraesentat modum significandi quam rem significatam sub illo modo.

Ad secundum patet solutio.

1.3.4

Circa quartum⁴ sic proceditur:

Scientia dicitur subalternare scientiam cuius subiectum est

1 si A in C. 2 omnem AC. 3 secundum quid C. 4 tertium ABC.

supra subiectum et passio supra passionem, et superior¹ dicit propter quid eiusdem passionis, cuius dicit quia posterior². Sed grammatica sic se habet ad logicam. [Probatio.] Ergo etc. Minor declaratur sic: ex dictis patet quia subiectum est supra subiectum, quia sermo ordinatus ad significandum tantum est supra sermonem ordinatum ad significandum et moderandum. Item passio supra passionem, quia omne verum supponit³ congruum⁴, et non convertitur.

Item: Grammatica dicit propter quid eiusdem passionis, cuius dicit quia logica. Quod patet si quaeratur a logico propter quid ista oratio: 'Socrates currit' sit congrua, dicet quod ita est. Si quaeratur a grammatico respondebit quia hoc verbum 'currit' est tertiae personae numeri singularis et modi finiti, et ideo exigit suppositum in casu nominativo tertiae personae et numeri singularis. Et sic reddit grammaticus propter quid eiusdem passionis, cuius dicit logicus quia. Ergo subalternat grammatica logicam.

Ad oppositum: In omni vera subalternatione oportet quod principia scientiae superioris et inferioris habeant ordinem, quia subalternata scientia non est extra subalternantem sed sub illa, et sic principia sunt sub principiis, et sic⁵ sunt eiusdem coordinationis. Et idcirco⁶ oportet quod principia scientiae subalternatae reducantur ad aliquod principium unum scientiae subalternantis; aliter enim non haberent ordinem sed disparationem, et propter hoc oportet ea fundari in aliqua radice una, et hoc liquidum est in scientia de linea simpliciter et scientia de linea visuali, nam scientia de linea simpliciter descendit in scientiam de linea visuali per naturam suorum principiorum. Unde scientiae subalternatae principia se habent per additionem ad principia subalternantis, sicut subiectum ad subiectum et passio ad passionem. Et quantum se extendit virtus principii scientiae superioris, tantum se extendit inferior⁷ et non amplius. Sed principia grammaticae non habent ordinem ad principia logicae, quia principia grammaticae sunt

1 inferior AB. 2 inferior C. 3 est C. 4 passionem AB. 5 ideo A.
6 ideo A. 7 superior C.

modi significandi vel consignificandi, generales vel speciales dictionum. Principia per quae procedit logica et quae considerat sunt communes intentiones fundatae in rebus, sicut sunt universale, particulare, genus, species, causa, causatum et sic de aliis. Modi autem significandi res aut consignificandi et communes rerum intentiones non habent ordinem sed potius disparationem, cum a diversis causentur. Et ideo clarum est quod non subalternabit grammatica logicam.

Quod est concedendum propter istam rationem, tum etiam quia grammatica procedit debiliori ratione quam logica, et quia etiam non est nobilior quam logica. Verumtamen illa praecedit sicut superius ostensum est.

Ad rationem in oppositum factam dicendum quod peccat per fallaciam consequentis ab insufficienti, non enim sufficit quod subiectum sit supra subiectum et passio supra passionem sicut commune praedicabile, sed ulterius exigitur quod subiectum scientiae subalternantis sit maioris abstractionis abstractione quae est formae a materia, et etiam quod principia scientiae subalternantis habeant ordinem ad principia subalternatae, et sic quod ordinentur ad probandum aliquam passionem de subiecto inferiori dicendo propter quid istius, licet non totum¹, sicut habetur in I. Posteriorum^A. Sed hoc non contingit de principiis grammaticae, quia per illa principia numquam potest ostendi aliquam orationem esse veram vel falsam.

De modis autem subalternationis determinare alterius est considerationis. Quidam distinguunt quod duplex est subalternatio: quaedam propria et quaedam communiter dicta, in qua non exigitur omnis condicio verae subalternationis; et hoc ultimo modo grammatica subalternat logicam, quia praecedit illam, sed melius dicitur modo primo.

¹ rationem A.

1.4 De grammatica

Consequenter viso ordine scientiarum quae sunt de sermone ad illas quae sunt de rebus et ad se invicem, nunc restat quaerere specialiter de grammatica utrum sit ars vel scientia. Et secundo supposito quod sic quaeretur utrum sit una vel plures. Et tertio quaeretur si una, utrum sit speculativa vel practica. Et si speculativa, quaeretur quarto utrum localis inventiva vel iudicativa. Quinto quaeretur specialiter de subiecto.

1.4.1

Circa primum proceditur sic:

Cuiuslibet artis principia sunt necessaria. Grammaticae principia non sunt necessaria. Ergo grammatica non est ars. Maior patet, quia eadem sunt principia artis et scientiae. Minor patet, quia hoc est principium unum artis et scientiae artis grammaticae: omne nomen terminatum in a est feminini generis, et hoc non est necessarium.

Item: principia cuiuslibet artis sunt eadem apud omnes. Grammaticae principia non sunt eadem apud omnes. Ergo etc. Maior patet, quia principia artis sunt universalialia, et haec sunt eadem apud omnes. Minor patet, quia litterae quae scribuntur non sunt eadem apud omnes. Et hae sunt principia artis grammaticae.

Item: cuiuslibet artis principia ortum habent a sensu. Grammaticae principia non habent ortum a sensu. Ergo etc. Maior patet e II. Posteriorum, ubi dicitur quod <ex> pluribus sensibus fit una¹ memoria, ex pluribus memoriis unum experimentum, ex pluribus experimentis in se² quiescens universale in anima praeter multa, quod est principium artis et scientiae^A. Minor patet, quia ista principia genus, numerus, casus non habent ortum a sensu.

1 om. BC. 2 in se: om. BC.

A APo 100a4-10.

Oppositum videtur: Ars est collectio principiorum ad unum finem tendentium. Sed grammaticae sunt principia multa ad unum finem tendentia. Ergo per locum a definitione grammatica est ars.

Item: ars dicitur ab artando, ex quo arguitur sic: omne illud quo artamur ne nos liceat aliter scribere vel loqui quam ipsum dat est ars. Grammatica est huiusmodi. Ergo est ars.

Item: omnis habitus dirigens nos ad constructionem alicuius orationis est ars. Grammatica est huiusmodi; per grammaticam enim docemus construere orationem congruam et perfectam. Ergo est ars.

Item: omnis habitus oppositus ignorantiae est scientia¹. Sed grammatica nominat habitum oppositum ignorantiae. Ergo est scientia.

Dicendum quod grammatica est ars et est scientia, sed dicitur scientia in quantum nominat habitum animae ut in quiete. Dicitur autem² ars in quantum nominat eundem habitum ut in opere, et haec differentia habetur in fine Posteriorum, ubi dicitur³ quod universale quiescens in anima unum praeter multa est principium artis et scientiae^A.

Item: dicitur scientia in quantum est speculativa subiecti et partium eius et probativa passionum de partibus. Unde in quantum scientia est recipit divisionem penes divisionem subiecti et ab aliis scientiis distinctionem⁴. Sed dicitur ars in quantum nos artat ne aliter liceat nos scribere vel loqui quam ipsa grammatica docet.

Item: dicitur ars in quantum ordinatur in finem. Unde ab illo⁵ recipit unitatem et ab aliis artibus distinctionem⁶. Unde omnis ars scientiam supponit, sicut operatio procedens ex habitu supponit habitum.

Ad obiectum primum dicendum quod principiorum grammaticae

1 ars A ars vel scientia C. 2 om. BC. 3 ubi dicitur: ut dicit Philosophus BC. 4 definitionem A distinguitur C. 5 illa A deficit C. 6 definitionem AB.

quaedam sunt de esse, quaedam de bene esse. De esse sunt litterae, elementa¹, syllabae, dictiones, orationes et modi pronuntiandi substantiales elementorum, ut cum omnis vocalis per se sonat, consonans cum alio, et quod omnis vox postposita plus sonat se ipsa praeposita, et similiter modi significandi et consignificandi generales, et haec sunt necessaria² et eadem apud omnes. Alia sunt principia de bene esse tantum, sicut sunt figurae elementorum et nominationes et accidentales potestates, et alia accidentia quae sumuntur a parte vocis cuiusmodi sunt terminatio in -a vel in -us. Et haec non sunt necessaria nec eadem apud omnes. Et per hoc patet solutio ad duo prima.

Ad tertium dicendum quod habere ortum a sensu est duobus modis: aut per se et immediate, aut per accidens et mediate. Primo modo grammaticae principia non habent ortum a sensu, sed secundo. Quia enim res sensatae cadunt sub sensu, sub unitate et multitudine et sub ratione alicuius causae, ideo genus, quod est discretio sexus, numerus, qui est pluralitas vel singularitas vel signum illius, et casus, qui est proprietas rei relatae ad aliud in quantum est eius causa, transferuntur a rebus ad voces res huiusmodi significantes. Et sic quasi per accidens ista cadunt sub sensu, nihilominus tamen unumquodque istorum assignatur accidens dupliciter, scilicet realiter et vocaliter, ut postea^A patebit.

1.4.2

Circa secundum sic proceditur:

Et videtur quod grammatica non sit ars vel scientia una, quia una est scientia ab unitate subiecti, et una ars ab unitate finis. Sed grammatica non habet subiectum unum nec finem unum, cum agat de litteris, syllabis, dictionibus et orationibus, quae non sunt unum. Item cum habeat diversos fines, qui

1 om. A. 2 unum A.

A cf. infra 4.

sunt¹ recte scribere, recte pronuntiare. Ergo non erit scientia una.

Dicendum quod grammatica est scientia una ab unitate subiecti, ista enim quattuor supradicta non sunt subiecta universalis grammaticae, sed particularia, et uniuntur in aliquo uno communi ut postea patebit. Similiter recte scribere et recte pronuntiare sunt fines particulares, quorum unus est sub altero; non enim est recte scribere nisi propter recte pronuntiare, et ambo sub tertio, qui est eloquentia vel humanae voluntatis significatio, quae² fit scripto vel pronuntiatione.

1.4.3

Circa tertium sic proceditur:

Et videtur quod grammatica sit practica, quia omnis scientia quae est de rebus quae exeunt in esse ab opere nostro est practica, haec enim est definitio practicae secundum Avicennam et Algazelem^A et Isaac. Grammatica autem est de his, cum sit de sermone, qui est ab opere nostro.

Item: hoc idem videtur per hoc quod dicit Philosophus II. Physicorum quod scientiae practicae sunt architectonicae et usuales^B. Et vocat architectonicas quae praeparant instrumenta quibus utuntur aliae, ut fabrilis respectu militaris. Sed grammatica praeparat instrumentum quo utuntur scientiae aliae, scilicet logica et rhetorica et aliae scientiae speciales, scilicet orationem congruam et perfectam. Ergo est practica.

Item: hoc idem videtur quia omnis scientia speculativa perficit intellectum in cognitione veri, ut dicit Avicenna^C in principio Metaphysicae. Sed grammatica perficit intellectum non quoad cognitionem veri, sed quoad cognitionem congrui. Ergo etc. Et sic non erit speculativa, sed practica.

Contra: Non est practica scientia nisi duplex: mechanica

1¹ qui sunt: ut BC. 2 quod ABC.

A Avic.Met.I c.1. Algazel Met.I c.1. B Phys 194b2. C Avic. loc.cit.

et liberalis. Mechanica dicitur architectonica et usualis, de quibus tractant manu¹ artifices, et grammatica non est talis, non enim docetur manu, nec fit manu, sed² lingua. Practica liberalis est de rebus, quarum principium est voluntas cum eligentia recta, et haec est moralis. Grammatica vero non est huiusmodi. Non enim voluntas cum eligentia facit hominem grammaticum, sicut facit hominem bonum vel malum. Ergo non est practica.

Item: Practica moralis determinat formam et modum operandi bene vel male determinando circumstantias bonae vel malae operationis. Hoc non facit grammatica. Ergo non est practica.

Quod concedendum est, sed speculativa, docet enim speculari quid sit congruum, quid incongruum circa sermonem, et quid figurativum.

Notandum tamen quod omnis scientia habet aliquid de speculatione et aliquid de operatione, unde omnis scientia potest dici quodammodo speculativa et quodammodo practica, nam practica scientia potest dici omnis scientia quae egreditur in opus aliquod iuxta cognitionem speculativae praecedentis quodcumque illud opus sit; et si ita sit quod illud opus sit rationis dicitur speculativa simpliciter et practica secundum quid. Alio modo dicitur practica quae docet qualitatem et modum operandi iuxta causarum et significatorum cognitionem, et sic medicina dicitur practica; vel quae docet modum et qualitatem operandi secundum determinatas circumstantias in genere moris, et haec dicitur moralis, quae quantum ad hoc quod docet speculari³ huiusmodi circumstantias speculativa dicitur, sed quia in his non sistit⁴ sed ulterius ordinatur ad opus, quia illa scientia non est gratia contemplationis, sed ut fiamus boni, ut dicit Philosophus^A, ideo practica dicitur simpliciter, speculativa quo. Alio modo dicitur practica quae docet qualitatem et modum operandi manibus⁵ in corporibus solidis,

1 manuales A. 2 manu, nec-sed: manibus A. 3 speculatori A. 4 consistit B sufficit A. 5 om. BC.

cuius sunt architectonicae et operativae scientiae, quas habent manu artifices, quae omnes subalternantur geometriae¹ sicut scientiae de machinis, turris factoria², navifactiva³, domufactiva et aliae sunt mechanicae ut pelliparia, sutoria et huiusmodi, de quibus nihil ad praesens. Sed in omnibus scientiis qualescumque sint est speculatio et operatio aliqua sequens ad speculationem praecedentem. Sed non dicitur practica a quacumque operatione, ut visum est, sed ab illa quae est determinata in genere naturae, ut medicina, medicus enim est aliquo modo adiutor et minister naturae, aut in genere moris aut tertio modo. Ad talia opera non ordinatur⁴ grammatica.

Ad primum obiectum dicendum quod res quae exeunt in esse ab opere nostro sunt dupliciter, quia in nobis est ratio et voluntas. Unde scientia quae est de rebus quorum principium est voluntas est moralis seu practica, ista quae est de rebus quarum principium completivum est ratio est rationalis, et talis est grammatica, et sic est speculativa, non practica.

Ad secundum dicendum quod duplex est instrumentum: quoddam speculativae cognitionis ut oratio vel syllogismus, et quoddam manualis operationis ut ensis vel securis. Scientia quae praeparat instrumentum primo modo est speculativa, scientia quae praeparat secundo modo est practica.

Ad tertium dicendum quod verum sumitur dupliciter: uno modo communiter ut dicatur verum omne illud quod est informativum intellectus speculativi, et sic congruum est verum et omne acceptum⁵ sub ratione boni. Alio modo dicitur verum passio enuntiationis opposita falso, et sic non accipitur verum in definitione speculativae scientiae.

Et sic patet solutio ad obiecta.

1.4.4

Circa quartum sic proceditur:

Et videtur quod grammatica sit localis, quia habet maximas

1 steriometriae B in marg. 2 turris factoria: ut A. 3 manufactiva AB.
4 ordinat BC. 5 +ut C +non B.

propositiones, et hae sunt loci, ut patet per Boethium qui dividit locos per maximam et differentiam maximae^A. Ergo grammatica est localis. Quod habeat maximas patet, quia grammatica habet tales maximas: 'omnis vocalis per se sonum facit, consonans cum alio' et similia.

Contra: Locus est habitudo rei ad rem, ut speciei ad genus. Sed habitudinem rei ad rem non considerat grammaticus, sed modos¹ significandi. Ergo non est localis.

Tunc quaeritur, utrum sit inventiva vel iudicativa.

Quod utrumque conveniat ei patet, quia grammatica invenit multa circa sua principia, quae supponit et iudicat de inventis. Unde est inventiva et iudicativa.

Sed contra: scientia inventiva est quae docet modum inveniendi multa media ad eandem² conclusionem, et iudicativa quae docet modum iudicandi, sicut collectiva quae docet modum colligendi, id est arguendi. Sed hoc docere est tantum logicae. Ergo sola logica proprie dicta³ debet dici inventiva vel iudicativa. Quod autem hoc tantum sit logicae docere patet per Boethium dicentem in principio Topicorum suorum: "omnis ratio disserendi quam logicem Peripatetici appellaverunt in duas distribuitur partes, in unam inveniendi et alteram iudicandi. Et ea quae iudicium purgat atque instruit vocata est⁴ ab illis dialectica a nobis resolutoria, ea vero quae inveniendi facultatem ministrat⁵ a Graecis topica a nobis localis dicitur".^B

Dicendum quod grammatica non est localis nec inventiva nec iudicativa, sicut ostensum est. Non enim grammaticus arguit ut grammaticus, sed sumendo formam alterius artificis, ut logici.

Ad primum dicendum quod duplex est maxima: una quae est ad confirmandum syllogismi illationem, et talis est locus, ut si dicatur: 'homo currit, ergo animal currit', locus a specie, maxima: 'quod inest speciei, inest generi'. Et talis maxima

1 modorum B deficit C. 2 unam C deficit A. 3 proprie dicta: recte A.
 4 vocata est: vocantem AB. 5 monstrat A.

A Boethius De diff. top. PL 64, 1186A. B Boethius De diff. top. PL 64, 1173C.

est locus. Alia est maxima quae additur ad verificandum propositionem, verbi gratia si dubitatur de veritate istius propositionis: 'Socrates currit vel non currit', verificatur per istam maximam: 'de quolibet affirmatio vel negatio', et talis maxima non est locus. Locus enim est sedes argumenti, ut dicit Boethius^A, in illa vero propositione non sedet argumentum, sed veritas propositionis, et ideo non est locus.

Ad aliud patet solutio ex ratione ad oppositum, quia non dicitur scientia inventiva ab actu inveniendi et iudicativa ab actu iudicandi, sed solum ab eo quod docet modum inveniendi et iudicandi. Et hoc est proprium logicae.

1.4.5

Circa quintum sic proceditur:

Et videtur quod vox sit subiectum grammaticae, quia in scientiis idem sunt materia et subiectum. Sed "vox secundum quod pro animalis prolatione sumitur est subiectum grammaticae", ut dicit Petrus Helias¹, "nam grammaticus de voce format litteras et de litteris syllabas, etc."^B Ergo vox est subiectum grammaticae.

Item: vox est commune praedicabile de omnibus illis quae in grammatica determinantur, et hoc contingit subiecto scientiae. Ergo est subiectum.

Item: hoc² videtur per signum, quia Priscianus in principio libri definit vocem et dividit^C, ex quo videtur quod vox sit subiectum, quia illud est subiectum, quod in principio scientiae declaratur³ et dividitur, sicut patet de syllogismo in principio Priorum.

Oppositum videtur: Nullum subiectum scientiae excedit scientiam, cuius est subiectum. Sed vox excedit grammaticam. Ergo non est subiectum grammaticae. Maior patet et minor

1 Petrus Helias: Philosophus AB. 2 om. BC. 3 determinatur C.

A Boethius De diff.top. PL 64, 1174D; 1185A. B P. Helias, Summa s. Prisc. Ms Paris Arsenal 711, f. 1ra. C Prisc. I.I.1 (ed. Hertz) GL.II p. 5.

similiter, quia nominantur¹ quaedam significativa² quaedam non, et quaedam litterata, quaedam non.

Quod est concedendum.

Ad primum obiectum dicendum quod materia duplex est: quaedam est proxima et quaedam est remota. Materia proxima et subiectum sunt idem in scientiis, remota materia et subiectum non sunt idem, et tale est vox, sicut obiciebatur.

Ad secundum dicendum quod subiectum scientiae non solum debet esse praedicabile de³ contentis sub genere subiecto, sed debet esse convertibile cum partibus generis subiecti aggregatis nec debet excedere scientiam, cuius est subiectum. Unde peccat per fallaciam consequentis ex omissione huius differentiae convertibilis.

Ad tertium dicendum quod Priscianus non dividit nec definit vocem in principio grammaticae, ut per hoc intendat vocem esse subiectum grammaticae, nisi valde remotum tantum, scilicet⁴ ut iuxta divisionem vocum per quattuor differentias subiectum grammaticae proximum sumat.

Tunc quaeritur secundo iuxta hoc utrum littera sit subiectum.

Et videtur quod sic, quia tota grammatica est de litteris sigillatim acceptis quare videtur quod littera sit subiectum.

Item: grammatica scientia dicitur a gramma quod est littera et hoc non est nisi quia est de litteris, ergo littera est subiectum.

Item: similiter se habet littera in grammaticis sicut unitas in arithmetiis. Sed unitas est subiectum in arithmetiis sicut innuit Aristoteles in I. Posteriorum in capitulo de praecognitionibus^A, ergo similiter littera in grammaticis.

Contrarium videtur: omne subiectum scientiae debet continere omnes partes generis subiecti, quod patet secundum duplicem modum assignandi subiectum in libro Perihermeneias. Nam uno modo assignatur ibi subiectum interpretatio quod est com-

1 vocantur B vocum C. 2 signa AB. 3 +omnibus partibus C deficit B.

4 sed C.

mune praedicabile de omnibus partibus et etiam de ipsa enuntiatione. Alio modo enuntiatio¹ secundum se et suas differentias proprias² dicitur subiectum esse commune per integritatem. Sed neutro³ istorum modorum communis⁴ est⁵ littera⁶ quia non praedicatur de syllaba, dictione et oratione nec continet ista per modum totius integri, quare non est subiectum ipsius grammaticae.

Quod concedendum est licet quidam dicant quod subiectum duplex est: quoddam per reductionem tamquam ad principium et causam et sic unitas dicitur subiectum in arithmetiis et littera in grammaticis et punctus in geometricis⁷. Alio modo dicitur subiectum in scientia commune per modum universalis vel totius integri scientiae adaequatum, et sic unitas non est subiectum in arithmetiis nec littera in grammaticis. Primus tamen modus assignandi subiectum est extraneus et improprius quia principium subiecti non est subiectum sicut principium rei non est res cuius est principium.

Ad primum obiectum dicendum quod peccat per fallaciam consequentis quia non sufficit ad hoc quod littera sit subiectum grammaticae quod de ea determinetur in tota grammatica in se vel in alio sed quod contineat omnia per modum totius universalis vel integralis.

Ad secundum dicendum quod grammatica dicitur a gramma quod est littera et icos scientia quasi⁸ scientia litteralis non propter hoc quod solum in grammaticis agatur de litteris sed quia in principio agitur de litteris sicut Genesis⁹ dicitur quia in principio de mundi generatione agitur solum.

Ad tertium dicendum quod unitas non est subiectum universale in arithmetiis, sed subiectum particulare forte, et similiter littera subiectum particulare in grammaticis.

Sed tunc quaeritur tertio utrum dictio sit subiectum.

Et videtur quod sic, quia de dictione in se vel in suis

1 om. AB. 2 om. A. 3 neutrum BC. 4 convenit C. 5 om. BC. 6 litterae BC. 7 arithmetiis-geometricis: scientia commune per modum AB. 8 et-quasi: vel AB. 9 liber geneseos BC.

partibus absolute vel in comparatione agitur in tota grammatica et de eius proprietatibus, quare est subiectum.

Sed contra: subiecto nihil est completius in scientia. Sed dictione aliquid est completius in grammatica scilicet oratio congrua et perfecta. Ergo dictio non est subiectum.

Quod concedendum est quia non habet rationem completissimam in grammaticis sed entis in potentia, et per hoc patet solutio ad rationem factam in oppositum quia procedit ab insufficienti.

Sed tunc quaeritur quarto utrum oratio congrua et perfecta sit subiectum.

Videtur quod non, quia nihil unum et idem est subiectum totius et partis. Hoc per se patet. Sed oratio est subiectum partis grammaticae ut diasintheticae. Ergo non est subiectum totius grammaticae.

Item: idem non est in scientia subiectum et instrumentum. Sed oratio est instrumentum grammaticae ad exprimendum affectum animi. Ergo non est subiectum. Maior patet per simile in arte fabrili, quia ibi non est eadem materia supra quam operatur faber¹ et instrumentum operis.

Contrarium videtur: illud est subiectum in scientia quod adaequatur illi et de quo et de cuius partibus proximis et remotis agitur in tota scientia et quo nihil est completius in ea; hoc enim videtur esse completa ratio subiecti. Oratio congrua et perfecta est huiusmodi quod per se patet. Ergo est subiectum in tota grammatica².

Quod est concedendum, quia sicut syllogismus dicitur esse subiectum in tota logica quia est illud in quo est status et complementum totius logicae, similiter oratio congrua et perfecta debet esse subiectum grammaticae quia est illud in quo est status et complementum grammaticae.

Item: sciendum quod ad hoc quod aliquid sit subiectum scientiae ratione exiguntur sex vel septem condiciones, scilicet quod sit ens quia non est scientia de non-ente, et quod necessarium ut excludantur contingentia de quibus non est scientia,

¹ operatur faber: fabricatur A. ² in tota grammatica: grammaticae BC.

et quod partibile ut excludantur subiectorum principia quae sunt simplicia et impartibilia ut punctus et motus quae non sunt subiecta quia omne subiectum est partibile ut innuit Aristoteles I. Posteriorum ubi dicit: Una est scientia quae est unius subiecti etc^A. Et item¹ quod sit universale ut excludantur particularia² de quibus non est scientia. Item³ quod sit convertibile vel adaequatum ut excludantur transcenduntia scientiam quae non sunt subiectum scientiae. Item, quod nihil sit completius eo in scientia ut excludetur nomen passionis, si aliqua sit⁴ convertibilis cum subiecto. Exigitur etiam⁵ quod sit bonum et difficile ut vult Aristoteles in II. Ethicae^B. Et haec omnia conveniunt orationi grammaticae congruae et perfectae.

Ad primum obiectum in contrarium dicendum quod oratio congrua et perfecta dupliciter accipitur, uno modo secundum se et partes eius subiectivas tantum, et tunc est subiectum partium grammaticae. Alio modo communiter ut comprehendat tam partes subiectivas quam integrales et sic est subiectum totius grammaticae.

Ad secundum dicendum quod maior propositio est falsa; idem enim est subiectum scientiae speculantis et instrumentum artis; eo enim quod⁶ speculatur grammatica ut subiectum in quantum est scientia, utitur⁷ in quantum est ars ad exprimendum affectum animi. Et non est simile quod inducebatur pro simili quia fabrilis scientia indiget materia supra quam operetur et instrumento quo operetur. Non enim facit materiam de qua operatur sed tantum eligit eam et consequenter operatur; facit enim⁸ simile instrumento per quod operatur, et quantum ad hoc posset dici quod idem est specie quod operatur et quo operatur. Ratio autem quae est principium sermonis⁹ ipsum format et eodem formato utitur.

1 secundum AB. 2 singularia BC. 3 vel B om. A. 4 est BC. 5 nihilominus BC. 6 enim quod: modo quo A. 7 instrumentum A. 8 tamen C. 9 +in AB.

Sed tunc quaeritur utrum vox litterata articulata debeat esse subiectum grammaticae.

Et videtur quod non quia unius scientiae unum est subiectum et non duo. Quare si oratio congrua et perfecta sit subiectum in grammatica vox litterata articulata non erit¹ subiectum.

Item: subiectum scientiae scientiam non excedit ut dictum est. Vox litterata articulata excedit grammaticam quia de tali voce agitur in logica et in rhetorica. Ergo non est subiectum grammaticae.

Item: vox litterata articulata non praedicatur de qualibet parte grammaticae nec illam continet ut totum partem, ergo non est subiectum. Minor patet quia littera de qua agitur in grammatica non est litterata, sicut albedo non est alba², nec articulata cum non sit significativa.

Oppositum videtur per Priscianum qui dividit vocem in principio per litteratam, non-litteratam, articulatam, non-articulatam^A et ex istis differentiis quattuor quattuor³ species vocum⁴ constituit secundum quod copulantur voci, quarum una est vox litterata articulata quae secundum quantum videtur subiectum grammaticae.

Et dicendum quod vox litterata dicitur duobus modis: uno modo dicitur litterata quia est principium litterationis, alio modo quia constat ex litteris. Similiter articulata dicitur duobus modis: uno modo in se, alio modo in altero. Primo modo dictio et oratio, secundo modo littera et syllaba. In se tripliciter: una est articulatio respectu congrui quae est quantum ad modos significandi generales, alia respectu veri et hoc est quantum ad significata specialia, alia respectu ornatus et hoc fit quantum ad ordinem verborum et decentiam⁵.

Dicendum ergo quod vox litterata quantum ad litteratam primo modo et secundo et articulata primo modo et secundo articulatione prima quae est respectu congrui est subiectum grammaticae commune per praedicationem et adaequatum illi, et idem est

1 debet esse B debet assignari C. 2 albata A. 3 quarum AB. 4 nomen A.
5 dictionum AB.

dicere hoc esse subiectum et sermonem ordinatum ad significandum propter congruum, sicut dicit Isaac.

Et sic patet solutio ad primum, quia secundo modo assignatur subiectum grammaticae oratio et vox litterata articulata. Et etiam ad secundum quia non agitur de tali voce in logica vel rhetorica. Per hoc etiam patet solutio ad tertium quia littera uno modo potest dici litterata articulata, alio modo non.

Sed tunc quaeritur cum in omni genere subiecto secundum Philosophum sit ponere minimum indivisibile ad quod est reductio omnium aliorum quaeritur quid sit illud in grammatica¹.

Et si dicatur quod littera, hoc non videtur, quia grammaticus non considerat solum vocem sed significationem vocis, quare non solum erit reductio ad minimum ex parte vocis sed ad minimum ex parte significationis. Hoc autem non potest esse littera cum non sit significativa nec aliquod alterum numero unum et ita non est ponere minimum in grammaticis.

Si dicatur quod hoc est modus verbi quia grammatica est finaliter ad exprimendum affectum animi complete, quod non fit nisi per modum verbi finitum, sicut posuerunt quidam, tunc sequerentur ex hoc multa inconvenientia. Primum quia cum modus verbi sit accidens verbo sequetur quod substantiale partis reduceretur ad accidentale et prius ad posterius et multa alia inconvenientia.

Propter quod dicendum quod cum tota grammatica sit de sermone ordinato ad significandum propter congruum ut visum est, illud autem quod primo ordinatur ad significandum licet non significet est littera, sicut illud quod primo ordinatur ad mensurandum in continuis est punctus licet non mensuret, et ideo in grammaticis primum indivisibile ad quod est reductio in grammaticis est littera et ad ipsam reducitur significatio non tamquam ad significativum² sed tamquam ad primum ordinabile ad significandum.

Vel posset³ dici quod in grammaticis non est ponere a parte

1 grammaticis BC. 2 significatum B significandum A. 3 potest A.

significationis aliquid minimum nisi dictionem, de qua dicit Priscianus quod est minima pars orationis constructae, et exponit Priscianus quod dicit minimum quantum ad significationem^A. Sed a parte vocum est ponere minimum simpliciter ad quod est reductio omnium aliorum, et hoc minimum non est idem specie vel numero sed genere et hoc sufficit. Et fortassis cum dicit Philosophus quod in omni genere subiecto est ponere aliquod minimum indivisibile intelligendum est de genere uno unitate naturae cuius est magnitudo et numerus; tale autem¹ non est sermo, sed magis unum unitate cuiusdam aggregationis.

Per hoc patet solutio ad quaesita.

1.5 De divisione grammaticae

Viso quid est subiectum grammaticae attendendum est ad divisionem eius secundum divisionem subiecti; secantur enim scientiae quemadmodum et res subiectae. Et quia subiectum grammaticae dupliciter potest assignari ut prius visum est, uno modo commune praedicabile de omnibus partibus generis subiecti, alio modo per integritatem, et primo modo subiectum est sermo ordinatus ad significandum propter congruum sive vox litterata articulata, alio modo oratio congrua et perfecta, ideo possunt accipi partes grammaticae secundum divisionem subiecti utroque modo assignati². Sermo enim ordinatus ad significandum propter congruum aut est significativus in se aut in altero. Si in se, aut est complexus aut incomplexus sive divisibilis sive indivisibilis. Primo modo est oratio, secundo est dictio. Si vero sit significativa in altero non in se, aut est divisibilis in illo genere aut indivisibilis. Primo modo est syllaba, secundo modo est littera, et sic sunt quattuor partes subiecti grammaticae scilicet littera, syllaba, dictio et oratio. Et eodem modo potest dividi subiectum grammaticae in easdem quattuor partes dicendo quod vox litterata articulata³ articulatione⁴ prima sit subiectum, quia vox articulata aut est articu-

1 enim AB. 2 assignari AB vel assignari C. 3 om. BC. 4 om. A.

lata in se aut in altero. Si in se, dupliciter; si in altero, dupliciter, ut visum est; et sic sunt quattuor partes grammaticae, quarum prima est de litteris quae dicitur orthographia ab 'orthos' quod est rectum et 'graphos' quod est scriptura, quia docet recte scribere.

Secunda de syllabis quae dicitur prosodia a 'prosos' quod est de et 'odos' quod est cantus quasi scientia de cantu sive de accentu eo quod accentus est propria passio syllabae.

Tertia est de dictione quae dicitur ethimologia ab 'ethimos' quod est verum et 'logos' sermo quasi verus sermo. Unde qui ethimologizat veritatem rei designat quia institutio vocum ad significandum fit a vera proprietate rei.

Quarta pars est de oratione quae dicitur diasinhetica a 'dya' quod est de et 'syn' quod est con et 'thesis' quod est positio quasi scientia de compositione sive constructione dictionum.

In easdem quattuor partes potest dividi ponendo orationem congruam et perfectam subiectum grammaticae quia aut agitur de ea¹ in se aut in suis partibus materialibus quae sunt tres²: littera, syllaba, dictio [et oratio], et sic erunt quattuor partes grammaticae.

1.5.1

Sed dubitatur cum Donatus^A dividat grammaticam in tres partes tantum, scilicet in praeceptivam, prohibitivam, et permissivam videtur quod sit diminutus vel Priscianus superfluous et Petrus Helias similiter.

Item: Alpharabius dicit septem partes esse grammaticae ergo tam Donatus quam Priscianus sunt diminuti.

Dicendum ad primum quod Donatus dividit grammaticam inspicendo ad proprietates sermonis grammatici quae sunt congruum et incongruum et figurativum: congruum est praeceptum, incongruum prohibitum, figurativum permissum. Priscianus vero et

1 agitur de ea: a grammatica A deficit B. 2 quattuor A.

Petrus Helias^A dividit ipsam penes partes substantiales sermonis quae sunt littera etc. Et ideo non est superfluous nec Donatus diminutus.

Ad ultimum dicendum quod illae septem partes ad has quattuor reducuntur. Nam secundum Alpharabium^B prima pars est de voce simpliciter, secunda de regulis eiusdem, tertia de voce complexa, quarta de regulis eiusdem, quinta recte¹ scribendi, sexta recte pronuntiandi, septima metrificandi. Prima pars et secunda et quinta continentur sub scientia de litteris, sexta et septima sub scientia de syllabis, tertia et quarta sub scientia de dictionibus et orationibus.

1.5.2

Secundo quaeritur utrum de syllaba et accentu debeant esse scientiae separatae.

Et videtur quod non, quia passio non habet definiri nisi per subiectum quare nec cognosci complete nisi per subiectum, et sic non est habere scientiam grammaticam separatam a scientia sui subiecti. Sed accentus est passio syllabae. Ergo non debet esse scientia separata de accentu a scientia de syllaba.

Item: in eodem libro agitur de littera et proprietatibus eius. Ergo similiter de syllaba et proprietatibus eius.

Item: non est scientia separata de aliis accidentibus syllabae. Ergo nec de accentu.

Solutio: quidam dicunt quod scientia de accentu non est de substantia grammaticae et reduci habet ad scientiam de syllaba², sicut cognitio proprietatis ad cognitionem subiecti; et signum est quia Donatus numquam facit mentionem de accentu nisi sicut de proprietate partis.

Alii dicunt quod est scientia separata de accentu; cuius ratio est quia licet sit proprietas syllabae et per eam habeat

¹ ars BC. ² alia etiam ratio potest esse C.

cognosci, tamen quia accentus est quaedam dispositio ex parte vocis respectu significationis - est enim regularis modulatio syllabae vocis significativae - dependet cognitio accentus a cognitione dictionis. Unde dicit Priscianus^A quod non potest discerni complete qualiter syllaba accentuanda sit donec videatur qualiter in dictione posita sit; et ideo quantum ad eius completam cognitionem dependet a dictione, et ideo potest esse scientia separata de accentu a scientia de syllaba. Alia ratio potest esse quia accentus quasi¹ ex institutione inest syllabae sicut dictioni[s] significatio per quam discernitur, et ideo potest esse scientia separata de accentu alia a scientia de syllaba.

Ad primum dicendum quod accentus non est passio simpliciter syllabae sed syllabae vocis significativae vel ordinatae ad significandum, et ideo potest in alia scientia particulari agi de accentu et in alia de syllaba. Vel potest dici quod accentus potest cognosci et definiri per syllabam in quantum est pars dictionis, et quantum ad hoc dependet accentus a dictione, et ideo potest agi de accentu ubi non agitur de syllaba ut syllaba est.

Ad secundum dicendum quod omnes proprietates litterae dependent a littera secundum esse et cognitionem; et ideo ubi agitur de littera agitur de proprietatibus eius, nec est scientia separata de littera et eius proprietatibus. Sed aliqua proprietas syllabae dependet a dictione secundum sui cognitionem², et ideo agitur de illa in alia particulari scientia.

Ad ultimum dicendum, quod accentus ut facit scientiam separatam includit realia accidentia, scilicet tempus et spiritum. Vel potest dici quod alia accidentia non dependent ab alio quam a syllaba secundum esse et cognitionem, sicut accentus, et ideo non faciunt scientiam separatam.

1 om. A. 2 +certam C.

A Prisc. II. II. 12 (ed. Hertz) GL II p. 51.

1.5.3

Tertio quaeritur utrum debeant esse diversi libri de dicti-
one et oratione.

Et videtur quod non, quia in eodem libro agitur de syllaba
et dictione. Ergo similiter in eodem debet agi de dictione
et oratione.

Item: in libro Perihermeneias agitur in uno libro de parti-
bus enuntiationis et ipsa enuntiatione. Ergo similiter gram-
maticus debet agere in uno libro de partibus orationis et ora-
tione.

Ad hoc dicendum quod sicut littera dupliciter potest consi-
derari: uno modo absolute, alio modo in comparatione ad aliam
litteram in constituendo syllabam - primo modo est scientia de
littera separata a scientia de syllaba, secundo modo non - si-
militer dictio potest dupliciter considerari: uno modo in esse
absolute et prout est extra contextum partium orationis. Alio
modo in comparatione ad aliam dictionem in constituendo orati-
onem. Primo modo est scientia de dictione separata a scientia
de oratione quae dicitur ethimologia, secundo modo non, sed
agitur de partibus orationis ubi agitur de oratione. Unde Pris-
cianus in minore volumine distinguit partes orationis et ordi-
nat, ut ex earum ordinatione naturali ostendat ordinationem¹
earum in constructione.

Notandum tamen secundum intentionem Prisciani quod scientia
ista cum scientia minoris voluminis una est et continua, cuius
signum est quod Priscianus enumerat duodeviginti libros totius
doctrinae huius, quod non esset verum nisi duo libri minoris
voluminis comprehenderentur.

Item patet hoc, quia in hoc libro agitur de partibus orati-
onis sub illis accidentibus et proprietatibus quibus debent in-
gredi orationem grammaticam, quae sunt genus, numerus, persona,
casus et modus et huiusmodi.

Per praedicta patet solutio ad argumenta facta prius.

¹ orationem A ordinem C.

CUM OMNIS ELOQUENTIAE etc. Antequam ad divisionem huius libri accedatur praenotanda sunt quaedam communia^A, videlicet quid sit grammatica, quod genus eius, quae materia, quid officium, quis finis, quae partes, quae species, quod instrumentum, quis artifex, quare grammatica dicatur, quo ordine sit docenda et discenda.

Grammatica est scientia gnara recte scribendi recteque loquendi^B. Et in recta locutione duo intelliguntur: rectus pronuntiandi modus et rectus modus significandi, quorum primum est obiectum auditus quantum ad substantiam pronuntiationis, secundum intellectus. Gnarus dicitur peritus quomodo aliquid fiat licet illud non faciat. Scribere est figuris visibilibus quod est pronuntiabile repraesentare, et recte scribere est figuris visibilibus quod est pronuntiabile recte, id est sine vitio barbarismi, repraesentare. Unde per rectam scripturam excluditur barbarismus qui est incongrua litterarum vel syllabarum coniunctio, per rectam locutionem proprie excluditur soloecismus.

Et dicitur grammatica scientia ea ratione quae superius dicta est, sed ars proprie dicitur eo quod nos artat ne aliter nos liceat recte scribere aut loqui quam ipsa docet. Et nota quod per grammaticam erudiuntur absentes et praesentes, absentes per hoc quod dicit "est scientia recte scribendi", per scripturam enim erudiuntur absentes, et praesentes erudiuntur per ipsam quia est scientia recte loquendi. Patet igitur quid sit grammatica.

Genus grammaticae in quantum scientia est potest dici scientia sermocinalis, sed eius genus¹ in quantum est ars potest

1 om. AB.

A Hic fere omnia, quae de grammatica, in quantum ars est, scripsit, de Summa Petri Heliae hausit. Cf. MS Paris Arsenal 711 f.11ra-11va. Cf. R.W. Hunt, The Introductions to the "Artes"..., studia Med. in hon. R.J. Martin, Brugge 1948 p.88-90. B Victorinus, Com. s. Rhet. Cic. (ed. Halm) RLM p.170.

dici qualitas eius secundum effectum quem in discente efficit, et sic dicitur eius genus scientia litteralis quia efficit litteratum, vel scientia linguae nam per ipsam ad aliquam speciem linguae instruuntur.

Materia grammaticae secundum quod consideratur per modum scientiae est idem quod subiectum de quo quidem est superius disputatum et declaratum. Materia eius in quantum est ars est vox¹ secundum quod pro animalis prolatione accipitur; litteratus enim secundum artem grammaticam de voce format litteras, de litteris syllabas, de syllabis dictiones et de dictionibus orationes, in quocumque genere linguae ars grammatica composita sit.

Officium artis grammaticae est illud quod exercetur per eam scilicet litteras congruere in syllabis, et syllabas in dictionibus, et dictiones in orationibus ordinare et eas competenter pronuntiare et ad evitacionem soloecismi et barbarismi.

Finis grammaticae in quantum est scientia est cognitio universalis subiecti et partium eius, sed eius finis in quantum est ars quod artifex intendit, scilicet recte scire et recte scribere et loqui.

Partes grammaticae secundum materiam sunt illa ex quibus genus subiectum grammaticae constituitur, scilicet littera, syllaba, dictio et oratio, sed eius partes in quantum est ars sunt haec eadem in quantum considerantur ut materia circa quam et ad quam grammatica operatur, quae quia non habent nomen impositum dicatur prima pars scientia de litteris, secunda de syllabis, tertia de dictionibus, quarta de orationibus, et grammatica dicitur scientia omnium istorum et nullius per se.

Species grammaticae possunt dici genera linguarum in quibus ars grammatica tractata et composita est. Artifex enim vocem format secundum diversa linguarum genera. Unde quaedam est grammatica Latina, quaedam Graeca, quaedam Hebraica, quaedam Chaldaea, et possunt huius species crescere dum tamen inveni-

¹ naturalis AB.

rentur propria nomina et propriae figurae ut in Gallica lingua sive in quacumque alia.

Artifex huius artis dicitur litteratus vel litterator qui de voce format litteras etc., et proprie potest dici litterator qui arte litteratoria utitur, sed grammaticus¹ qui eam docet.

Instrumentum autem quantum ad scripturam potest dici quicquid ad scripturam confert ut scindipendium², pluma, stilus, cornu et incaustum et huiusmodi. Sed instrumentum pronuntiationis est quicquid valet ad ipsam ut labia, dentes, lingua, palatum et huiusmodi. Et notandum quod instrumentum grammaticae in quantum est ars ad significandum affectum animi potest dici subiectum in quantum est scientia, sicut alias dictum est, sicut oratio congrua et perfecta.

Dicitur grammatica a gramma quod est littera vel a gramma-ton quod est linea eo quod litterae quibusdam lineis depinguntur.

Quo ordine sit docenda et discenda patebit in divisione³, modus autem procedendi in grammatica est definitivus, divisivus, probativus et improbativus, exemplorum suppositivus; et hic modus procedendi debetur ei proprie in quantum est scientia.

Titulus est: Incipit ars grammaticae Prisciani viri disertissimi eloquentissimi Caesariensis Constantinopolitani.

Et notandum quod praeter fines particulares qui superius positi sunt possunt assignari fines communes sibi et aliis sermocinalibus⁴ tres scilicet eloquentia, philosophica scientia et beatificatio⁵ animae rationalis. Ad primum valet per se, ad secundum et tertium adminiculative; horum primus est remotus, secundus remotior, tertius remotissimus.

1 grammatica C gratia eius A. 2 scindipensum A vox nobis ignota. 3 dividendo BC. 4 et sermonibus AB. 5 verificatio A.

A f.25r-31v
C f.75v-87v

Circa istam lectionem^A incidunt quattuor dubitabilia: primum circa dictionem, secundum circa orationem, tertium circa numerum partium orationis, quartum circa significatum sive proprietatem nominis.

Circa primum incidunt principaliter duo: quia enim dictio est significans ex institutione, ideo primo quaeretur de institutione vocis ad significandum, secundo de dictione in speciali.

2.1 De institutione

2.1.1a

Quaeritur ergo primo an sit possibilis institutio vocis ad significandum.

Videtur quod non. Ad hoc quod sit institutio vocis ad significandum necesse est speciem intelligibilem uniri voci. Sed haec unio est impossibilis, ergo institutio est impossibilis. Maior patet quia instituere vocem ad significandum nihil aliud est quam dare voci significationem quam prius non habebat. Dare autem voci significationem quam prius non habebat est ei unire significationem. Significatio autem non est nisi species intelligibilis secundum Philosophum I. Perihermeneias: "Voces sunt signa passionum quae sunt in anima"^B; et sic probata est maior. Minor patet quia quaecumque necesse est distare secundum substantiam et situm impossibile est ea coniungi. Sed species intelligibilis quae dicitur significatio¹ et vox sunt huiusmodi, quae scilicet necesse est distare secundum substantiam et situm, quod patet quia species intelligibilis est in anima,

1 dicitur significatio: debet significari C.

A Prisc.Inst.II.III.14 sqq (ed.Hertz) GL II p.53 sqq. B De int. 16a4.

vox autem sensibilis in aere extra, ergo ea necesse est distare secundum substantiam¹ et situm. Quare impossibile est ea coniungi, et sic non est possibilis institutio vocis ad significandum.

Item: si vox instituitur ad significandum, aut ergo ante sui prolationem aut in sui prolatione aut post. Non ante prolationem nec post quia tunc non est, nec in ipsa prolatione quia tunc aut fieret institutio ab ipso proferente vel ab audiente. Non secundo modo quia tunc prius significaret affectum² audientis quam affectum proferentis, et hoc est falsum, quia voces sunt principaliter et primo ad designandum affectum vel cognitionem animi quam nescit audiens nisi prolatione³ significetur prius. Nec primo modo quia ipse proferens non potest simul vocem non significativam proferre et eam ad significandum instituere; tunc enim accideret quod idem esset signum et non-signum, quia dum proferret vocem quae debet institui ad significandum ipsa esset non-significativa et ipsa post institutionem esset significativa.

Item: cum vox sit prolata successive, impossibile est ipsam manere donec instituat. Si dicatur quod duplex est vox: una interior et mentalis et in illa fit institutio ad significandum, alia exterior et sensibilis et in illa non fit institutio, tunc videtur sequi quod vox exterior sensibilis non erit significativa ex institutione, quod patet esse falsum: cum enim aliquid significet et constat quod non significat naturaliter, restat quod ex institutione, et sic reddit idem quod prius.

Item: si vox instituitur ad significandum aut igitur mediante voce aut mediante aliquo alio. Non mediante aliquo alio quia sic non intelligeretur ipsam vocem esse per hoc⁴ significativam; nam illud aliud esset primo⁵ signum. Si mediante voce ergo aut voce significativa aut non-significativa. Non ultimo modo quia per medium non-signum non potest apprehendi aliquod signum nisi per privationem sicut per non-album cognoscitur album. Si mediante voce significativa, aut ergo naturaliter

1 distantiam A. 2 conceptum A. 3 per sermonem C. 4 per hoc:post haec A.
5 post A.

aut ad placitum. Si naturaliter, non apprehenderetur per illam vocem esse ad placitum significativam, sed solum naturaliter. Si ad placitum, tunc illa fuit instituta ad significandum, ergo iam reliqua non fuit primo¹, quod est contra hypothesim².

Item: illa fuit instituta ad significandum per aliam³ prius institutam et alia per aliam, et sic est processus in infinitum.

Quod voces significant ad placitum sive ex institutione patet per effectus et per auctores et per rationes. Per effectus: ita dicit Priscianus I. minoris quod agere et pati est proprium substantiae ad quam significandum sunt imposita nomina^A, et ita nomina significant substantiam ex impositione.

Item: In eodem, cum dicit quod excogitata sunt pronomina in diversas personas ut et positionem nominis et ordinationem verbi demonstrent^{4B}.

Item: Philosophus in Praedicamentis dicit quod aliquando in relativis ad hoc quod dicantur ad convertentiam oportet fingere nomina^C. Haec autem fictio⁵ est impositio nominum. Ergo etc.

Item: I. Perihermeneias dicit Philosophus quod voces sunt signa intellectuum^D. Sed intellectus et res sunt eadem apud omnes, voces autem non sunt eadem apud omnes. Ex quo arguitur: si voces significativae ut sunt nomina vel verba non sunt eadem apud omnes, ergo non significant naturaliter, quia naturalia⁶ sunt eadem⁷ apud omnes; ergo ex institutione significant solum. Hoc idem patet per hoc quod dicit post quod tam nomen quam verbum est vox significativa ad placitum^E, hoc autem est significare ex institutione; quod declarat Philosophus per sonos illitteratos ferarum quorum nullum nomen est^F, sed tunc quando fit nota et signum voluntarie institutum ad representandum animi affectus.

Item: patet per rationes⁸; quia illud videtur possibile seu

1 principaliter C. 2 propositam A. 3 per aliam: aliquid A. 4 indicarent C Prisc. 5 Haec autem fictio: Hoc modo facta A. 6 naturaliter C. 7 sunt eaden: significant idem A. 8 patet-rationes: per rationes videtur ostendi posse C.

A Prisc.XVII,II.14(ed.Hertz) GL III.p.116. B ibid. XVII.II.16(ed.Hertz) GL III p.118. C Cat.7a5-6. D De int.16a4-9. E De int.16a2o; 16b6. F De int.16a28-29.

contingens quo¹ non existente positum² in esse nullum accidit inconueniens. Sed dato quod nulla facta fuisset impositio siue institutio vocis ad significandum sicut quondam fuit, ex ipsa institutione facta nullum accideret inconueniens sed potius multae commoditates. Ergo ipsa institutio vocis ad significandum est possibilis.

Item: omne illud est possibile et contingens cuius oppositum nec est necessarium nec impossibile. Sed institutio vocis ad significandum est huiusmodi. Ergo etc. Maior patet quia contingenti non opponitur nisi necessarium vel impossibile. Item: minor patet quia vocem tantum³ institui ad significandum non est necessarium nec impossibile, quod patet ad sensum, ergo etc.

Item: origo seu derivatio vocis significativae a voce significativa est possibilis, cotidie enim fiunt novae derivationes tam a nominibus quam a verbis. Sed talis derivatio nihil aliud est quam nova institutio vocis ad significandum. Nam species derivativa est vocis institutio ad significandum ad alicuius vocis prius repertae similitudinem, ut dicit Petrus Helias^A. Ergo secundum hoc possibilis est institutio vocis ad significandum.

Quod est concedendum.

2.1.2a

Sed tunc est quaestio cum duplex sit vox, una sensibilis exterior et alia mentalis secundum quod dicit Anselmus^B, utrum institutio fiat in voce sensibili exteriori aut in voce mentali interiori.

Quod in exteriori videtur per Philosophum I. Perihermeneias, ubi dicit quod ea quae scribuntur sunt signa eorum quae sunt in voce, et ea quae sunt in voce sensibili exteriori -

1 quod C. 2 posito tam C. 3 non C.

A Petrus Helias Summa MS Paris Arsenal 711 f.21rb. B Monologion 10 (O.O.I:25,1-2).

hic enim est intellectus eius¹ - sunt signa passionum quae sunt in anima^A.

Item: constat quod voces sensibiles aliquid significant, et non significant naturaliter omnes ut nomina vel verba, ergo significant ex institutione; igitur fit institutio ad significandum in voce sensibili exteriori.

Sed contra: vox sensibilis exterior est fluxibilis et momentanea. Sed institutio permanens et diuturna. Igitur fit in voce permanente et diuturna. Haec autem est mentalis. Ergo etc.

2.1.3a

Sed tunc quaeritur supposito quod in voce sensibili exteriori fiat institutio, utrum sit significans ex institutione aut sit necesse quod illi voci sensibili res significanda vel eius species intelligibilis uniatur.

Et videtur quod sic, quia in hoc abundat vox significativa a non-significativa quia habet penes se significationem, et haec significatio non est nisi res vel intellectus rei; et constat quod non est res per se loquendo, ergo est intellectus rei. Et hoc est quod dicit Philosophus voces esse signa intellectuum^B.

Item: si intellectus rei non uniretur ex ipsa institutione voci sensibili exteriori, tunc per ipsam non apprehenderetur voluntas sive affectus loquentis. Nos² autem videmus contrarium. Sed tunc ratio quae fuit facta in principio est in contrarium.

2.1.4a

Sed tunc supposito quod intellectus uniatur aliquo genere unionis quaeritur quid sit illud. Aut enim unitur ei secundum

1 cuius A. 2 nunc C.

A De int.16a 4sq. B De int.16a4-9.

substantiam ut forma materiae, aut secundum sui similitudinem et hoc dupliciter: aut per modum spiritualem ut res cognoscibiles ab anima uniuntur sibi per sui similitudinem vel speciem spiritualem, aut per modum corporalem et hoc dupliciter: aut sicut idolum in organo cognoscendi - ibi enim est sub esse materiali¹ et sub figura quadam et in quantitate - aut sicut idolum in speculo materiali vel sicut effigies aliquantulum² impressa³ vel sigillata per sigillum in materia corporali, vel unitur ei sicut motor mobili, a quo distat⁴ secundum substantiam ut pellens pulso, aut unitur secundum relativam habitudinem quae est finis et eius quod est ad finem, aut sicut sanitas urinae aut vinum circulo. Quod non primo modo videtur, quia aut esset illa unio secundum totum aut secundum partem. Non ultimo modo, quia indivisibile partem non habet. Species autem intellecta est indivisibilis, et ideo cum unitur, totaliter unitur. Non primo modo quia cum intellectus naturaliter praecedat ipsam vocem, quare non unitur ei ut forma materiae, tum quia vox fluxibilis est et intellectus manet, quod non contineret si esset eius forma; tum quia intellectus est passio animi, vox autem qualitas aeris, haec autem secundum substantiam distant, et ita intellectus et vox sensibilis substantialiter⁵ distant et situ; tum etiam quia ex hoc sequeretur quod idem numero esset in diversis secundum substantiam distinctis et etiam secundum situm; tum quia aut intellectus post sui unionem cum voce maneret in anima aut non: si non, ergo proferendo vocem cum intellectu unitam⁶, abolerentur intellectus apud animam proferentis, quia fieret ignorans aut oblitus praecogniti aut praeteriti. Si manet et eadem quae manet unitur voci, idem igitur esset in diversis secundum substantiam distinctis, quod est inconveniens. Ex quo videtur dandum esse quod non uniatur secundum substantiam.

Tunc quaeritur an sibi uniatur secundum similitudinem ut erat secundo positum, et videtur quod non, quia intellectus

1 naturali A. 2 alii C. 3 pressa A. 4 a quo distat: cui unitur A.
5 naturaliter A. 6 unita C unito A.

apud animam non est aliud quam similitudo vel species rei. Similitudinis autem <vel> speciei non est similitudo vel species sicut formae non est forma, ut dicit Philosophus^A. Quare non unitur voci sensibili per similitudinem vel speciem.

Item: si hoc esset, tunc esset aliquo modo prius assignato quod non contingit, quia nihil unitur alicui per modum spirituales nisi ipsum sit sensus¹ spiritualis². Vox autem sensibilis non est huiusmodi. - Nec secundo modo, quia tunc dimensionaretur significatio vel intellectus dictionum secundum aliquam³ quantitatem, vel saltem esset ibi sub aliqua certa figura quantitatis. Si uniretur sicut idolum organo cognoscendi, tunc illud iterum esset impossibile, cum ipsa vox non sit sicut organum cognoscendi. Item: solum corporale idolum habet. Species autem intelligibilis non est corporalis, ergo non unitur voci ut idolum organo cognoscendi. - Nec etiam ut species objecti corporis speculo materiali, quia tunc contingeret quod spirituale per sui unionem cum materiali fieret materiale. Item: tunc contingere videtur quod sicut fracto speculo apparet species eadem vel imago in partibus eiusdem speculi, quod similiter divisa voce in suas partes appareret eadem significatio vel intellectus. - Item: nec est dicendum quod uniatur ei per impressionem ut effigies regia⁴ vel alia quaecumque sigillatur in materia corporali quia tale quid non contingit fieri nisi per aliquod corporale sigillans et derelinquens formam vel figuram suam in materia corporali ut patet ad sensum. Et si dicatur quod ibi est impressio non corporalis sed spiritualis quae dicitur immissio per quandam virtutem spiritualem occultam, tunc redit idem quod prius est quaesitum, an scilicet per sui similitudinem aut virtutem ei uniatur. Sed videtur ostensum quod non per sui similitudinem seu speciem. Quod non et per suam virtutem ut motor mobili ut pellens pulso videtur, quod movere est actus perfecti, moveri actus imperfecti, ut

1 sensus: sensibile A. 2 spiritualis: spirituale AC. 3 eius C. 4 rei A.

A cf. Metaph. 994b18-19.

dicat Philosophus. Intentio autem sive species intelligibilis non habet esse perfectum cum non sit ens sed entis, ergo non movet; ergo non unitur alicui ut motor mobili, nisi quatenus est principium cognoscendi illud cuius est: sic enim movet secundum relativam habitudinem illud in quo est quia ducit ipsum in cognitionem eius cuius est, quia simile simili cognoscitur, et sic non unitur voci isto modo. Item: non unitur sicut ea quae sunt ad finem uniuntur fini, quia finis et ea quae sunt ad finem sunt eiusdem coordinationis, ut patet de operibus virtutis et virtute et felicitate; haec enim sunt eiusdem coordinationis. Sed vox sensibilis et intellectus non sunt eiusdem coordinationis, cum unum sit sensibile reliquum intelligibile, ergo etc. - Nec etiam unitur sicut sanitas urinae vel vinum circulo, quia nec urina significat sanitatem nec circulus vinum sed utrumque istorum praeter illud quod significat aliud demonstrat; urina enim non est signum nisi contentorum in ea, et circulus non est signum vini sed ostendit alicubi vendi vinum. Et tum tam urina quam circulus in sic demonstrando aliquid praeter illud quod principaliter continent aut significant, falso quandoque demonstrant. Vox autem postquam instituta est ad significandum numquam falso designat illud ad quod significandum instituta est. Item: nihil aliud continet quam significatum suum et eius accidentia, ergo non unitur intellectus vel significatio voci isto modo, scilicet ut vinum circulo aut ut urinae sanitas.

Propter hoc quaeritur qualiter uniatur significatio voci ex impositione. [Et quare fit impositio ad significandum intellectum potius in voce sensibili quam in alio sensibili naturali ut sunt color, odor, sapor et huiusmodi.]¹

2.1.1b-4b

Dicendum quod institutio vocis ad significandum est possibilis sicut ostendit ratio vel rationes factae ad secundam partem primae quaestionis. Fit autem institutio non solum in Latino

¹ cf. 2.2.1

sermone sed etiam in quolibet genere idiomatis secundum¹ varietatem idiomatum. Non enim voces sunt eadem apud omnes, ut dicit Philosophus^A, et de se planum est. Non enim eisdem nominibus nominatur res eadem Latine, Graece et Hebraice, et similiter Latine et vulgariter, et propter hoc in aliis et aliis vocibus ad easdem res significandas a diversis diversae fiunt impositiones et sic diversae vocetenus interpretationes, licet intellectus idem sit.

Sed ad secundo quaesitum quod facit ad solutionem primae quaestionis et rationum factarum ad primam quaestionem, scilicet in qua voce fiat institutio et qualiter an scilicet in voce mentali interiori aut in voce sensibili exteriori, dicendum quod in utraque, sed in exteriori fit institutio interiori mediante.

Ad cuius evidentiam notandum quod vox habet esse in anima secundum duplicem modum: uno modo sicut in substantia cognoscente per abstractionem sicut alia cognoscibilia; sicut enim mediante sensu habet anima cognitionem de rebus, sic habet cognitionem de vocibus, et hoc est verum tam de proferente quam audiente. Habet etiam vox esse in anima ut in principio efficiente; vox enim est percussio aeris ab anima, ut scribitur secundo De anima^B; et tunc habet esse in ea per appetitum et imaginationem. Hae enim duae virtutes concurrunt ad formationem vocis, ut dicit Philosophus, et hoc tam in brutis quam in hominibus, sed in brutis vis appetitiva et imaginativa sunt ut in pluribus indistincte et confuse etiam per modum naturae cuiusdam. Unde non consiliantur bruta nec deliberant, hoc enim est rationis proprium, sed natura aguntur potius quam imaginatione. Unde dicit Damascenus quod irrationabilibus irrationalis est appetitus, et a naturali appetitu aguntur^C, quem appetitum appellat Avicenna naturalem instinctum^D, propter quod voces brutorum animalium significant per modum naturae illud quod significant. Non enim faciunt consilia nec inquisitiones

¹ +quod sunt variae et novae vocis formationes et figurationes secundum C.

A De int.16a5-6. B An.42ob 13sq. (27-30). C Damascenus De fide orthodoxa IIc.22 (PG 94, 945B-C). D Avicenna De an. V,1 (ed.van Riet p.75,95).

operum suorum, ut Damascenus dicit^A, et quia natura est eadem in omnibus brutis animalibus genere vel specie, ideo in omnibus brutis animalibus vociferare potentibus est uniformitas vociferandi genere aut specie. In hominibus vero est multitudo atque diversitas affectionum et cogitationum per distinctionem, et quia multitudo affectionum cum voluntate¹ exprimendi causa est² vocandi³ - nam ad hoc est sermo, ut dicit Plato, ut praesto sint mutuae voluntatis indicia^B - necesse est quod multitudo affectionum et cogitationum distinctarum fit causa distincte vocandi³. Cum igitur apud animam⁴ sint vocum intentiones et imaginationes et similiter rerum similitudo, apud eam fit communiter excogitatio; cogitat enim apud se quem intellectum per quam vocem debeat significari, "est enim excogitatio intentio permanens et figurans animam ad illud quod intelligitur. Et haec eadem excogitatio manens in eodem⁵ et se ipsam examinans et diiudicans, phronesis nominatur. Unde phronesis est excogitatio se ipsam examinans et diiudicans, phronesis vero dilatata facit cogitationem endiatentum⁶ id est interius dispositum sermonem, nominatam. Sermo autem interior secundum Damascenum est motus animi plenissimus in excogitativo factus sine aliqua enuntiatione, ex quo prolatus sermo provenit per linguam enarratus."^C Haec sunt verba Damasceni, et per hoc patet divisio motus rationalis animae secundum ipsum <in> interius dispositum sermonem et prolatum sermonem; primum multoties silentes apud nosmetipsos totum pertransimus et in somniis disputamus, et secundum hunc rationales dicuntur et qui a nativitate muti sunt et etiam qui propter passionem aliquam vocem amiserunt. Secundum vero prolatum non sic est; ille enim operationem habet qua per⁷ linguam et os et cetera instrumenta sic⁸ profertur, ideoque prolatus⁹ dicitur¹⁰.

1 voce A. 2 exprimendi-est: causa est exprimendi et vocandi C. 3 vocandi: fortasse vociferandi. 4 +rationalem C. 5 manens in eodem: tamen eadem manens A. 6 scil. ἐνδιδέον. 7 habet-per: qua habet A habet quem per C^{PC}. 8 fit et C. 9 prolata A prolatus C. 10 +et est enuntiativus intelligentiae et locutivus dicitur C.

A Damascenus ibd. B Plato Timaeus 47c-d (Plato Latinus IV:44,25-26).

C Damascenus De fide orthodoxa IIc.22 (PG 94,943A).

Ex his igitur plane patet quod apud animam est sermo intra-
 nee dispositus, quo quidem et ad cuius similitudinem fit pro-
 latus. Apud animam igitur statim cum habet intentionem signi-
 ficabilem fit praeexcogitatio vocis, qua talem intentionem sive
 intelligentiam deceat vel oporteat significari, et illi inten-
 tioni vocis applicatur intentio significabilis sicut finis ei
 quod est ad finem. Consequenter quia ad hoc quod huiusmodi
 intellectus alii manifestetur exigitur aliquod signum sensibile,
 quia nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu,
 movet¹ anima rationalis per appetitum et imaginationem membra
 deputata ad formationem vocis, cuiusmodi sunt pulmo et arteri-
 ae spiritum continentes et alia, sicut sunt lingua, palatum,
 fauces et labia, et formatur vox sensibilis iuxta intentionem
 vocis praecogitatae et praeconceptae apud animam proferentis
 eam, et fit sermo exterior idem continens et repraesentans
 quod per sermonem interiorem continebatur et repraesentabatur.
 Nec est mirum si fiat vox sensibilis in aere expirato similis
 interiori, tum quia anima utitur corpore et partibus eius ut
 instrumentum ad eius operationes² tam naturales quam volunta-
 rias excercendas, tum etiam quia videmus in aliis artibus idem:
 nam in materia corporali facit architector simile paradigmati
 quod habebat in anima, antequam faceret domum vel archam vel
 aliquid huiusmodi. Et igitur vox exterior sensibilis habet
 quadruplicem comparisonem: unam ad intentionem vocis interi-
 oris ad cuius similitudinem figuratur, aliam ad intellectum
 seu similitudinem rei, tertiam ad ipsum sermonem interiorem
 complementem tam speciem³ significabilem quam vocis intentionem,
 quartam ad rem extra quae per vocem significatur intellectu
 movente. Respectu primi est signum naturale, quia omnis ef-
 fectus naturaliter repraesentat illud cuius est effectus; sed
 respectu secundi, tertii et quarti est significativum ex in-
 stitutione; sicut enim in voce interiori fit praecognitio vo-
 cis antequam fiat verbum mentale et deliberatur apud eam qua
 voce oporteat talem intellectum significari, ita vox exterior

1 manet A quo3 C. 2 expositiones A. 3 vocem C.

sensibilis significabit illam speciem ex institutione facta apud animam deliberatione praecedente. Fuit autem facta prima institutio in voce sensibili exteriori non commediante alia voce exteriori naturaliter significante vel ex institutione, sed solum rei praesentis ostensione et vocis sensibilis prolatione figuratae et formatae iuxta intentionem vocis interioris dispositivae sermonis. Unde sicut sacra scriptura dogmatizat: formatis cunctis animantibus terrae et universis volatilibus caeli adduxit ea Dominus Deus ad Adam ut videret quid vocaret ea et vocavit¹ Adam cuncta animantia terrae et volatilia caeli nominibus suis^A. Et sic patet quod nominatio rerum ab eo facta fuit ad ipsarum rerum praesentiam et² ostensionem. Et simile videmus in doctrina infantium. Nam infantibus a principio ostenduntur res et simul cum ostensione nominantur dicendo "panis, panis, vinum, vinum". Cum audiunt vocem et vident rem et processu temporis sciunt talis vocis talem esse significationem. Et si a principio haberent penes se distincte notitiam rei et vocis per se nominarent; nunc autem quia non habent, ab alio addiscunt. Et hoc dico quantum de prima vocum institutione.

Consequenter vero factae sunt plures vocum institutiones secundariae secundum distinctionem linguarum et idiomatum, et tunc fortasse factae sunt institutiones per pronomen 'hoc' et verbum significandi ut 'hoc significabit hoc' ut primum 'hoc' sumatur pro voce, secundum 'hoc' pro re.

Ex hiis ergo patet quod in voce exteriori fit institutio, et qualiter facta fuit prima, et forte iuxta illum modum factae fuerunt posteriores quantum ad primam vocum impositionem; sed secundariae positiones vocum quae dicuntur derivationes seu compositiones vel transitiones³ fiunt ad similitudinem aliarum prius repertarum.

Ad illud vero quod quaerebatur post, an sit necesse voci sensibili intellectum uniri, et⁴ si sic quo genere unionis;

1 appellavit C. 2 praesentiam et: praesentium C. 3 fortasse translationes deficit C. 4 aut A aut rem et C.

A Gen 2,19-20.

potest enim dici quod sic, dicit enim Augustinus in libro De anima, quod anima unitur in corpore et per corpus sicut sensus in littera id est in voce litterali, quod quantum ad hoc est intelligendum quia sicut anima est totius corporis actus et non partis et per motum totius cognoscitur, ita intellectus sive significatio est totius dictionis quasi actus et per totum apprehenditur non per partem. Modus autem unionis est secundum relativam habitudinem, quae est finis et eius quod est ad finem vel secundum relativam habitudinem significati generaliter ad suum signum.

Ad hoc enim finaliter est sermo sensibilis ut eo mediante significetur intellectus animi audienti¹ ipsum, et hoc vult Plato dicens ad hoc est sermo datus ut praesto etc.^A, et propter hoc etiam necesse fuit sermonem instituere. Si enim unusquisque suas affectiones per voces proprias et singulares significaret, impossibile esset eas intelligi, et propter hoc necesse fuit ut aliquibus vocibus daretur significatio, quibus communiter loquentes sibi mutuo exprimerent suas intentiones. Posset etiam dici quod unitur significatio voci eo modo quo unitur visibile medio videndi id est corpori diafano. Nam sicut illud est medium videndi deferens visibile usque ad visum, sic ex ipsa impositione vox fit medium et quasi nuntius deferens speciem intelligibilem quae est in mente proferentis ad mentem audientis. Et sicut visibile fit in medio per quendam modum minus naturalem quam est in obiecto per virtutem lucis exterioris medium subtiliantis, sic quodam modo species intelligibilis, quae debet significari per virtutem animae organice moventis instrumenta vocalia ad formationem vocis, immittitur voci immissione spiritali sicut anima corpori; quod videtur dicere Augustinus quod anima unitur in corpore et per corpus sicut in littera sensus. Potest etiam² dici quod unitur significatio voci eo modo quo unitur forma artificialis³ materiae corporali. Nam sicut intellectus manu

1 audientis AC^{ac}. 2 nihilominus C. 3 accidentalis C^{ac} substantialis A.

A Plato, Timaeus 47C-D.

mediante, quae dicitur organum eius et organum organorum III. De anima^A, facit ei simile quod habet in mente in materia corporali visibili, sic intellectus mediantibus organis vociferandi imprimit speciem similem ei, quam penes se habet, voci sensibili exteriori. Unde sicut visus apprehendit in materia corporali extra speciem vel imaginem, per cogitationem prius existentem in mente artificis, sic anima per auditum vocis significativae apprehendit affectum proferentis. Unitur ergo significatio vel intellectus voci secundum habitudinem relativam quae est finis et eius quod est ad finem vel signi ad significatum generaliter vel ut visibile medio videndi vel ut forma impressa materiae corporali quodammodo, quia fortasse non est in his omnimodam reperire similitudinem. Si aliquis autem meliori modo poterit assignare rationem huiusmodi unionis non invideo.

Ad argumentum ergo quod fiebat ab initio patet solutio, quia in institutione vocis ad significandum fit unio et distantia speciei intelligibilis secundum substantiam, et sic non prohibet unionem secundum relativam habitudinem aut secundum effectus vel similitudinem.

Ad secundum dicendum quod in voce sensibili fit ab ipso proferente institutio ad significandum primo iuxta intentionem verbi mentalis praecogniti et praeconcepti¹, et sunt simul prolatio vocis et institutio; et hoc dico de institutione prima ad significandum facta in vocibus, quia ut prius dictum est illa fuit facta solum rei praesentis ostensione et vocis prolatione.

Et patet solutio ad tertium et quartum. Sunt tamen aliqui qui dicunt quod institutio prima ad significandum facta fuit mediante voce naturaliter significativa, quod non credo, nisi quod dicatur quod vox exterior sensibilis habet duplicem comparisonem: unam ad vocem interioriorem praecognitam² et praeconceptam, et sic erit effectus eius naturalis et signum illius,

1 promti A praecogitati C cf.inferius. 2 praecogitatam C.

A An.432a1-2.

ut prius est tactum. Aliam habet comparationem ad rem extra per vocem nominandam et significandam mediante intellectu, et hoc non facit nisi ex institutione. Est ergo vox sensibilis naturaliter signum alicuius imaginati, sed est signum istius vel illius rei ad placitum.

Ad secundo quaesitum patet solutio ex dictis, scilicet quod in voce sensibili exteriori mediante tamen interiori fit institutio. Et quod obicitur quod ista est fluxibilis et momentanea, significatio vero manet, dicendum quod licet fluat secundum esse suum materiale tamen manet secundum esse suum causale et exemplare, et hoc sufficit. Postquam enim vox est instituta ad significandum consimiliter prolata idem significat ratione primae institutionis, nisi de novo detur alia significatio sicut contingit in aequivocis.

Ad tertio quaesitum patet similiter solutio ex dictis et etiam ad quarto quaesitum in parte. Sed ad istud quo ostenditur quod non uniatur species intelligibilis voci secundum sui similitudinem, dicendum quod licet similitudo non sit similitudinis vel species speciei sicut subiecti, potest tamen similitudo esse similitudinis sicut obiecti vel sicut causae, quod patet in duobus speculis sibi invicem obiectis quod fit redditio speciei unius ad alterum; similiter in artificialibus simile fit in materia corporali ei quod erat in anima artificis; et similiter hic non est intelligendum quod similitudo vel species rei quae est in anima faciat simile¹ in materia extra vel in voce sensibili, sed anima quae habet apud se huiusmodi similitudinem vel speciem utendo organo corporali facit simile in materia visibili vel audibili²; nec est ibi species intelligibilis per modum omnino spirituales sed quodammodo ut anima in corpore et significatum in signo proprio, nec tamen est ibi sicut forma impressa per extensionem materiae, ita quod pars sit in parte et totum in toto, sed potius est in tota voce ita quod in nulla eius parte per se <sed> secundum quod est ordinata in toto. Et secundum hunc modum

¹ se C deficit A. ² +similem speciem illi C.

intelligitur verbum Augustini quod anima unitur in corpore et per corpus ut in littera sensus.

Ad alia patet solutio usque ad illud ubi ostenditur quod non unitur sicut finis eius quod est ad finem quia non sunt eiusdem coordinationis ut obicitur; dicendum quod immo quia unum est signum, reliquum significatum. Signum autem sensibile potest esse significati intelligibilis.

Ad ultimum dicendum quod generaliter unitur species intelligibilis voci sensibili ut significatum signo quantum ad actum significandi, non quantum ad modum significandi, quia aliquod signum est significans ex institutione, aliquod ex natura. Et quod obicitur quod urina et circulus significant aliquando falso, vox autem postquam instituta est ad significandum non significat falso illud ad quod significandum est instituta, dicendum quod licet contingat quod sint falsa signa quantum ad hoc quod subest significato, non tamen sunt falsa quia semper significant quod nata sunt significare, sicut vox post institutionem semper significat quod nata est significare.

Per hoc patet solutio aliquiditer ad omnia obiecta.

2.1.5

Consequenter quaeritur utrum in omni voce possit fieri institutio.

Videtur quod sic, quia sicut materia est in potentia ad formam sic vox ad significandum¹. Sed cuilibet materiae potest applicari forma sibi conveniens. Ergo cuilibet voci significatio sibi conveniens ex institutione.

Item: omnis vox est sonus prolatus cum aliqua imagine significandi, ut patet per definitionem vocis datam ab Aristotele II. De anima^A. Ergo omnis vox poterit institui ad significandum.

Contra: institutio vocis ad significandum fit ad exprimendum

¹ signum C.

A An.42ob31-32.

affectum animi proferentis. Sed nulla vox est apta ad significandum affectum proferentis eam ex institutione nisi humana solum; hoc de se patet. Ergo in nulla voce potest fieri institutio ad significandum nisi in humana solum.

Item: omnis vox significans ex institutione est vox litterata. Non omnis vox est litterata. Ergo etc. Maior patet, quia vox humana significat primo ex institutione, sed littera est prima materia vocis humanae individua ut dicit Priscianus^A, ergo omnis vox etc.

Item: ~~(non)~~ omnis vox significat ex institutione sed¹ solum quae ab aliquo profertur affectu mentis. Sed omnis talis vox est vox humana. Quare solum vox humana est significans ex institutione. Maior patet quia omnis alia² vox, quae nullo profertur affectu mentis [vel] est vox significativa [aut] solum naturaliter ut sunt voces ferarum. Minor patet scilicet quod omnis³ vox talis, quae ab aliquo profertur affectu mentis eius quo loquitur, sit humana, quia mens homini est solum, cum sit idem in substantia quod intellectus vel ratio secundum Augustinum.

Dicendum quod institutio ad significandum fit in voce humana solum sive sit litterata sive illitterata, unde sibilus hominum est vox significativa ex institutione et est illitterata; est enim instituta ad significandum insidias. Sed de tali voce non est intentio apud grammaticum sed de litteratis solum, et ideo principaliter fit institutio in voce litterata.

Ad primum obiectum dicendum quod non est simile quia materia naturaliter ordinatur ad formam per quam habet esse et intelligi naturaliter, sed vox non ordinatur ad significationem quae est ex institutione nisi secundum voluntatem et arbitrium instituentis ipsam ad significandum rationaliter, ut patebit post. Et quia non omnis vox subiacet voluntati et arbitrio hominis rationali, ideo non fit institutio ad significandum in omni voce.

¹ et AC. 2-3 alia-omnis: om. A.

Ad secundum dicendum quod omnis vox est significativa naturaliter alicuius intentionis impressae in virtute appetitiva et imaginativa. Sed hoc non sufficit ad hoc quod in ea fiat institutio, sed ultra hoc exigitur quod sit litterata et quod procedat ab aliquo affectu mentis eius qui loquitur; et hoc est dicere quod sit prolata cum intentione significandi.

2.1.6

Consequenter quaeritur in qua voce humana litterata fiat primo institutio, et quod in littera videtur, quia signum debet proportionari significato. Sed significatum est simplex scilicet intellectus vel passio animi. Ergo et signum. Sed in genere signorum vocalium littera est simplicius, ergo etc.

Contra: Priscianus dicit quod minimum in genere signorum est dictio; est enim dictio minima pars orationis constructae^A. Ergo dictio erit primum in genere vocum significantium, et sic in ea fit prima institutio.

Item: littera est materiale principium syllabae, et syllaba dictionis, et ita tam litterae quam syllabae habent esse incompletum et materiale respectu dictionis. Quare in neutro illarum debet fieri institutio ad significandum. Oportet enim quod sicut intellectus apud animam existens est rei completae et quid completum in genere cognoscibilium¹, similiter signum in quo fit institutio sit completum in genere signorum.

Dicendum quod vox significans ex institutione est dictio primo. Unde dicitur dictio secundum Priscianum eo quod dicendum aliquid significat^B. Unde si contingat quod dictio sit monosyllaba et monolitteralis, hoc accidit ei in eo quod dictio est; non enim in eo quod littera vel syllaba est est significativa, sed in eo quod dictio.

Ad primum obiectum dicendum quod signi ad significatum debet esse proportio. Sed non est necesse quod illa proportio

¹ cog^{liū} A cognitionum C.

A Prisc.Inst.II.III.14 (ed.Hertz) GL II p.53. B Prisc.Inst.II.III.14 (ed.Hertz) GL II p.53.

sit in simplicitate sed in relativa habitudine; oportet enim quod aliquid sit ex parte signi respondens significato, et hoc est ponere melius in dictione quam in littera vel in syllaba; nam dictio habet esse completum sicut species rei vel intellectus habet esse completum in genere cognoscibilium¹ et distinctum.

Item: sicut apud animam fit compositio intellectiva, sic in enuntiatione compositio vel coniunctio dictionum. Unde tam² litterae quam syllabae ordinantur ad significandum mediante dictione cuius sunt partes.

2.1.7

Consequenter quaeritur utrum voces possint institui ad significandum non-ens.

Et videtur quod sic, quia dicit Philosophus quod contingit significare quod non est esse et quod est esse^A.

Item: extrema contradictionis contingit significari, alterum est non-ens, ergo contingit significare non-ens sicut ens. Ergo si contingit significare ens per vocem ex institutione, et similiter non-ens.

Contra: relativorum si unum est, et reliquum, posita enim se ponunt et perempta se perimunt, ut dicit Philosophus^B. Sed signum et significatum sunt relativa. Ergo si unum est, et reliquum. Ergo vox existens non potest esse signum rei non-existentis.

Dicendum quod vox instituitur ad significandum primo et per se intellectum mentis et mediante illo rem. Et quia contingit intellectum mentis esse entis et non-entis, ideo potest vox institui ad significandum tam ens quam non-ens. Nota tamen quod non-ens dicitur tripliciter: uno modo non-ens actu, ens tamen in potentia, sicut sunt naturalia quae de potentia materiae deducuntur ad ens actu aut alia³ quorum esse tantum

1 cognitionum C. 2 Unde tam: vide tamen quod C. 3 +corpora C.

A De int.17a28-30. B Cat.7b15-22.

est in potentia. Aliud est non-ens nec actu nec potentia, habet tamen imaginationem alicuius entis. Unde ad modum alicuius entis cadit in imaginatione sicut mons aeneus vel aureus; imaginando enim montem et aurum vel aes imaginatur mons aureus vel aeneus. Similiter chimaera et hircocervus et alia figmenta quorum partes sunt aliquid in natura, imaginationem habent alicuius entis. Et talia non-entia significari possunt per vocem significativam ex institutione; vox enim significativa est per se intellectus ut cadit sub imaginatione entis. Aliud est non-ens quod nec est actu nec potentia nec imaginationem alicuius entis habet. Et tale nullo modo cadit in intellectu, et ideo non potest significari per vocem, quia vox est significativa¹ intellectus. Sed si aliquo modo² intelligatur, privatione³ entis actu vel potentia intelligitur; et hoc modo significatur per hoc nomen 'impossibile'.

Ad obiectum dicendum quod non-ens dupliciter potest considerari: uno modo absolute, alio modo in quantum cadit sub imaginatione entis alicuius. Primo modo non est significatum⁴ per vocem nisi privative tantum, ut dictum est. Secundo modo est significabile per vocem ex institutione et sic voce significativa posita ponitur illud in quantum fuit significabile.

2.1.8

Item quaeritur utrum possit vox institui ad significandum quodlibet genus entis.

Videtur quod non, quia voces sunt notae sive signa ex institutione passionum quae sunt in anima. Sed nihil est in anima per modum cognoscibilis nisi universale; singularia enim cognoscuntur sensu tantum, ut dicit Boethius: singulare est dum sentitur, universale dum intelligitur^A. Ergo nihil significabitur per vocem ex institutione nisi universale.

Item: nihil est significabile ex institutione nisi cadens

1 indicativa C. 2 aliquo modo: in aliquo A. 3 privationem A. 4 significabilis C.

A cf. Arist. Phys. 189a5-6.

aliquo modo sub imaginatione, quoniam intellectus noster coniunctus est phantasiae et imaginationi, et similiter vox est sonus cum imaginatione significandi prolatus, et imaginatio est vis formativa vocis, ut dicit Averroes^A. Sed multa sunt entia quae non cadunt sub imaginatione, eo quod non habent speciem in materia sicut sunt intelligentiae. Ergo non possunt per vocem significari.

Item: nihil potest per vocem significari quod per locutionem enarrari non potest; nam locutio est sermo significativus ex institutione. Sed prima causa non potest per locutionem enarrari, quia est super omnem enarrationem, ut dicit Philosophus libro De causis, quod exponit Commentator quia narratio non est nisi per locutionem, locutio vero per intelligentiam, intelligentia autem per cogitationem et cogitatio per meditationem, meditatio per sensum^B. Prima autem causa non cadit sub sensu, et ideo non potest locutione exprimi.

Item: Dionysius libro De divinis nominibus dicit quod Deus est innominabilis^C, et ita non potest per nomen significari; nam tunc esset nominabilis. Quare multo minus poterit per aliquam vocem significari.

Contra: voces sunt signa passionum quae sunt in anima. Sed hae generantur in ea a sensibus. Ergo voces sunt signa passionum quae derelinquuntur in anima a sensibus. Sed illae passionem sunt signa vel imaginationes sensibilium. Ergo a primo voces sunt signa sensibilium.

Item: contingit loqui de sensibilibus et unum¹ alteri exprimere suas voluntates²; et hoc non contingit nisi per voces significativas ex institutione, ergo etc.

Item: aliquid intelligitur per effectum, aliquid per privationem condicionum sensibilium primo et consequenter per additionem condicionum nobilium, quae in creaturis excellent³ reperiuntur, ut Deus et intelligentiae et universaliter substantiae separatae. Sed eo modo quo intelliguntur res et

1 mutuo alterum C. 2 voces A. 3 excellentibus C.

A Averroes In De an. II c. 90, 32 (p. 268). B Liber De causis V (VI) 57, 61. C Dionysius De div. nom. c. I, 6 (PG 3, 596A).

quo apud intellectum fiunt, sunt significabiles ab aliquo proferente, intendente exprimere affectum. Ergo tam Deus quam angelus poterunt aliquo modo per voces significari.

Quod omne concedendum est, unde dicendum quod omnia eo modo quo veniunt in cognitionem significari possunt, licet fortasse plene non possint, quia nec plene similiter cognoscuntur.

Ad primum obiectum quod singulare cognoscitur a sensu primo, et ab intellectu ex consequenti; quia quidquid potest virtus inferior in cognoscendo potest superior, ut dicit Boethius, sed modo altiori. Et ideo singularia possunt significari ab intellectu per vocem significativam ex institutione. Et¹ auctoritas Boethii quae est quod universale etc. non est intelligenda sic quod universale tantum intelligatur et singulare tantum sentiatur, sed quod virtus proprie comprehendens universale est intellectus, et comprehendens primo et per se singulare est sensus, sed utrumque ab utroque modo tamen differenti.

Ad secundum dicendum quod omne singulare cadit aliquo modo sub imaginatione vel per positionem sicut ea quae habent speciem in materia, vel per effectum, vel per privationem sicut substantiae separatae quae intelliguntur per privationem omnium condicionum materialium et sensibilium; ut vult Philosophus XI. Primae philosophiae^A. Primum autem comprehenditur, non quia ipsum cadat sub motu aut imaginatione nec per se nec per accidens; nullo enim modo movetur. Sed cognoscitur et comprehenditur per coniecturas quae sunt effectus illius, sicut per vestigium in quo sua sapientia, potentia et bonitas relucet, in multitudine potentia, in ordine et dispositione sapientia, in perpetuitate bonitas; et inde nominatur bonus, sapiens et potens sive omnipotens.

Ad tertium dicendum quod non ostendit quod non possit significari, sed quod non possit significari plene et perfecte.

Eodem modo ad ultimum: Deus enim non est plene nominabilis

¹ ut vult A.

A Metaph.XII 1o74b15sq.

nomine uno, sed sunt nomina multa quibus aliquo modo nominatur et de Deo loquimur.

2.1.9

Tunc quaeritur utrum postquam dictio significat aliquod ens ex institutione eo corrupto amittat suam significationem.

Videtur quod sic, quia si vox idem significaret re existente cuius est signum et re non existente, tunc idem esset univocum enti et non-enti, quia illa vox significativa. At¹ hoc est impossibile.

Sed contra: vox instituitur primo et per se ad significandum intellectum mentis. Sed idem manet intellectus apud animam re existente et non existente. Ergo et significatio; eadem enim species manet rei apud animam cum res est praesens et post cum est absens.

Dicendum quod idem significat dictio re existente vel non existente.

Ad obiectum in contrarium dicendum quod enti et non-enti nihil est univocum quod sit ordinabile in genere. Species autem intelligibilis non est ordinabilis in genere, quia non est ens aliquod, sed entis similitudo, similiter nec dictio aggregata ex voce et significatione vel intellectu significato. Vel potest dici quod nihil absolutum est univocum enti et non-enti, tamen aliquid ens relatum, cuiusmodi est signum, potest esse univocum² enti et non-enti; sicut enim una est relatio entis ad non-ens, sic potest esse una relatio rei entis primo et post non-entis; hoc enim accidit illi similitudini quod illud cuius est fiat non-ens.

2.1.10

Tunc quaeritur utrum vox post institutionem possit amittere significationem suam.

1 et A. 2 aequivocum AC.

Et videtur quod sic, quia cum vox non habeat significationem a se sed ab aliquo instituyente, tunc videretur quod idem possit auferre significationem qui eam ad significandum instituit.

Item: destructio vel cassatio est una species insolubilium. Hoc autem est cum voci significativae aufertur sua significatio, sicut e contrario institutio est cum voci non significativae datur. Ergo secundum hoc poterit vox instituta ad significandum fieri non-significativa et ita amittere suam significationem.

Item: voluntas est principium se habens ad opposita. Sed institutio vocis ad significandum est voluntaria, et sic est a voluntate. Ergo poterit se habere ad opposita. Ergo sicut instituens voluntarie potest instituere ad significandum, sic potest destituere voluntarie, et sic fiet non-significativa.

Sed contra: Philosophus I. Perihermeneias dicit: "quod factum est non potest non fieri"^A. Sed institutio vocis ad significandum facta est ex hypothesi. Ergo nequit non fieri. Quare postquam vox est instituta ad significandum semper erit significativa; aliter enim quod factum est posset non fieri. Sed tu dices: verum est, non potest non fieri quoniam vox fuerit instituta ad significandum, sed potest fieri quod amplius non significet illud¹ ad quod instituta fuit, sicut de Socrate postquam cucurrit non potest fieri quin cucurrerit, sed potest fieri quod amplius non curret².

Sed contra: ratio est principium intransmutabile, quia ratio dicitur a rectitudine vel a ratitudine, et haec sunt³ uno modo et semper. Sed institutio vocis ad significandum non fit⁴ a sola voluntate circumscripta ratione, sic enim esset omnino fortuita et casualis et omnino irrationalis, quod est inconveniens ponere. Ergo erit a voluntate consiliata ratione, ergo est a principio intransmutabili. Quare semper significabit illud ad quod significandum prius fuit instituta.

Quod est concedendum. Dicendum igitur quod possunt ad

1 idem C. 2 currat A. 3 haec sunt: hoc scilicet C. 4 fuit C.

tempus causa disputationis fieri destructiones et cassationes vocum significativarum, sed nihilominus significabunt principaliter id ad quod significandum primitus institutae fuerunt. Postquam enim publica est vocis significatio apud aliquos suscipitur tamquam lex, cuius ratio est quia ipsa institutio vocis ad significandum fit ab aliqua ratione quam supponunt communiter loquentes ab eo qui primo vocem ad significandum instituit. Et quod ipsa impositio fiat a ratione patet, quia aliter non esset scientia de sermone rationalis. Et per hoc patet solutio cuiusdam quaestionis scilicet quid sit proximum principium impositionis vocis scilicet ratio vel voluntas, quia ratio; voluntas enim movet ad instituendum, sed ratio dirigit et exequitur, et propter hoc scientia de sermone dicitur rationalis per se loquendo, quia completivum principium sermonum est ratio.

Ad primum dicendum quod si institutio vocis esset mere voluntaria procederet ratio. Sed quia est rationalis, et ratio est principium intransmutabile, ideo non potuit auferre significationem, sed potest aliam dare alia ratione inventa, et sic fiunt aequivocationes.

Ad secundum patet solutio per iam dicta et ad tertium similiter.

2.1.11

Consequenter quaeritur cuius sit instituere voces ad significandum an scilicet quilibet possit instituere.

Et videtur quod sic, quia sermo est ad exprimendum mutuum voluntatem animi cuiuslibet indifferenter. Sed hoc non est nisi per significationem quam habet ex institutione. Ergo cum quilibet habeat propriam voluntatem et propriam rationem, et haec sunt principia quibus fit institutio, poterit quilibet vocem ad significandum instituere.

Contra: eius est instituere voces ad significandum cuius est docere, quia sermo significativus est principium doctrinae. Sed docere non est nisi sapientis. Ergo nec instituere voces ad significandum non erit nisi sapientis.

Haec pars est vera.

Ad primum dicendum quod ratio sumitur tripliciter: uno modo ut est nomen substantiae, et sic omnes homines dicuntur rationales ab ista. Alio modo ut nomen potentiae vel habitus, et hoc etiam modo omnes dicuntur rationales. Tertio modo ut est nomen actus vel usus, et sic non omnes dicuntur rationales, quia non omnes usum habent rationis; et hoc exigitur ad impositionem vocis. Sed sapientes habent usum rationis, alii non.

Sed tunc quaeritur utrum cuiuslibet sapientis sit voces instituere ad significandum, et videtur quod sic, quia impositio vocis ad significandum est sapientis ut sapiens est. Ergo erit cuiuslibet sapientis. Ergo quilibet sapiens potest instituere voces ad significandum.

Sed contra: illius est constituere voces ad significandum cuius est considerare voces et significata solum. Sed quilibet sapiens non est huiusmodi, utpote mathematicus et alii quam plures. Ergo non est cuiuslibet sapientis voces ad significandum imponere quibus communiter loquentes utuntur¹.

Quod concedendum est.

Ad primum obiectum dicendum quod impositio vocis ad significandum non est generaliter sapientis ut sapiens, sed in aliquo genere determinato sapientiae vel sapientis generaliter se habentis ad omnia.

Sed tunc quaeritur quis sit ille sapiens.

Et videtur quod grammaticus, quia grammatici est dicere quid est quod significatur per vocabulum, quod est praecognitio ad omnem scientiam tam de rebus quam de sermonibus, ut dicit Philosophus^A. Ergo eius est instituere, ut videtur, voces ad significandum.

Item: grammaticus est primus artifex et primus sapiens secundum viam doctrinae, quia grammatica prima est in genere scientiarum sermocinalium, ergo etc.

Item: grammatici est considerare nomina et verba et ceteras

¹ utantur C.

A APo 71a13.

partes orationis, sub quibus omnes voces significativae continentur, et eius est definitiones earundem assignare, ut patet per se. Ergo eius erit voces ad significandum imponere¹, ut videtur.

Sed quod logici sit instituere voces ad significandum videtur, quia institutio fit a ratione. Sed logicus dicitur praecipue rationalis. Ergo eius est praecipue instituere voces ad significandum.

Sed contra: logici est supponere quid est quod dicitur per vocabulum. Ergo eius non erit imponere voces ad significandum secundum² communiter loquentes.

Item: videtur quod quilibet artifex in propria facultate habeat propria nomina imponere, quia dicit Themistius super I. Posteriorum capitulo de praecognitionibus, quod quaelibet scientia propriis <et> institutis³ utitur⁴ vocabulis. Quare videtur quod cum quaelibet scientia habeat propria vocabula et instituta in illa, quod quaelibet scientia instituat vocabula.

Sed contra: illius est imponere nomina ad significandum, cuius est generaliter scientiarum prima principia stabilire et verificare et contradicentibus obviare. Nam ipsa impositio principium est vel via ad principia. Metaphysicus est huiusmodi; unde metaphysica est scientiarum prima et scientiarum causa et magistra, ut habetur I. Veteris Metaphysicae. Ergo illius est imponere voces ad significandum et nomina rebus imponere.

Item: cuius est considerare ens universaliter et eius differentias, eius est proprie nomina entis et differentiarum eius imponere, quia idem et diversum sunt differentiae entis. Nomen autem est idem rei nominatae, ut dicit Philosophus I. Topicorum. Ergo etc.

Gratia huius quaeritur, quae et quot exiguntur ad hoc quod fiat impositio nominis ad significandum.

Ad hoc ultimum⁵ dicendum, quod quattuor principia exiguntur ad impositionem scilicet existentia⁶ rei in se vel in sibi

1 instituere C. 2 quibus utuntur C. 3 instrumentis A om. C. 4 +et A.
5 ultimo quaesitum C. 6 essentiam A.

simili vel in suis partibus vel aliquo¹ modo actu vel potentia vel imaginatione.

Item exigitur rei significatae et proprietatum eius apud animam cognitio vel per sui speciem sicut cognoscuntur ea quae habent speciem in materia, vel per effectum, vel per privationem, vel aliquo alio genere cognoscendi; aliter enim non fieret impositio.

Exigitur etiam rectitudo intellectus cognoscentis et auctoritas et intentio instituendi, quia si imponens non haberet rectitudinem intellectus non admitteretur institutio; non enim sapientes utuntur voce instituta ad significandum sine ratione affectum animi. Item si quilibet pro libito et voluntate sua institueret voces ad significandum et non haberet auctoritatem ad hoc praeter ceteris sicut magister et doctor aliorum non admitteretur impositio. Praeterea si non haberet intentionem imponendi, sed casu fortuito nominaret rem, non esset institutio, quia institutio debet esse rationalis et a proposito.

Item: exigitur proportio vocis significantis ad rem significatam vel ad eius proprietates. Non enim qualibet voce significatur intellectus quilibet, sed propria voce formata et figurata ad istum intellectum significandum, sicut patet de pluribus vocibus ut in istis nominibus 'lapis', 'petra'; aliqua enim proprietas est in significato ad quam respiciens imponens tales voces instituit ad significandum talem rem, et si forte a parte vocis non sit talis proprietas manifesta nobis², ipsi instituenti nota fuit.

Hiis ergo concurrentibus fit institutio in vocibus prima ad significandum. Secundariae institutiones factae fuerunt ad similitudinem primarum.

Ad illud ergo quod quaerebatur, cuius sit voces instituere ad significandum, dicendum quod sapientis non cuiuscumque, sed principalis, qui habet auctoritatem super omnes alios sapientes, qui est philosophus primus; ille enim habet cognoscere res generaliter et earum generales proprietates et differentias,

1 alio C quo A. 2 vel C.

et propter hoc illius est voces ad significandum instituere et earum multiplicitates¹ distinguere, sicut patet V. Metaphysicae. Et concedendae sunt rationes quae hoc ostendunt.

Sunt tamen aliqui qui dicunt quod triplex est differentia nominum: quaedam enim sunt nomina rerum ut 'homo'. Alia quaedam sunt nomina intentionum ut 'genus', 'species' etc. Quaedam sunt nomina nominum ut 'nomen', 'pronomen' etc. Primorum nominum impositio pertinet ad metaphysicum, cuius est res generaliter et per se considerare. Secundorum nominum impositio pertinet ad logicum, cuius est per se intentiones considerare; est enim logica de secundis intentionibus adiunctis primis, ut dicit Avicenna^A. Tertiorum nominum impositio pertinet ad grammaticum, cuius est considerare nomina partium orationis secundum eorum proprias rationes, ut patet intuenti.

Alii dicunt quod uniuscuiusque artificis in propria facultate est imponere nomina ad significandum iuxta illud Themistii "omnis scientia utitur propriis et institutis vocabulis".

Sed qualitercumque dicatur, generaliter est verum quod impositio vocis ad significandum in Latino sermone, quia de isto proprie est intentio, <fit> a sapiente, non a quocumque, sed auctoritatem habente, ut est doctor vel magister, et intendente instituere. Et quia nomen sapientis et magistri aut² auctoritatis³ appropriatur primo philosopho, ideo et impositio vocis ad significandum ei appropriatur.

Nam si alii artifices speciales nomina imponant propria suis scientiis, hoc faciunt per aliquam rationem communem, quae apud communiter loquentes est, licet ab aliquibus non ab omnibus apprehendatur, et huius rationis communitas primo et per se a philosopho primo cognoscitur. Et intelligendum est hoc totum de impositionibus primis. Et forte impositiones primae quae fiunt in Latino sermone acceptae sunt iuxta idiomata vulgaria linguae Latinae, sed aliquialiter differunt in scriptura et in flexionibus, et hoc satis patet intuenti.

1 multitudines A. 2 om. C +vel A. 3 autoritate A.

A Avicenna Metaph.I c.2 (Venetiis 1508:f.7ovaA).

Nam vocabulum quod est in idiomate vulgare est Latinum apud omnes, ut patet in hiis dictionibus 'dona', 'Roma' quae sunt vulgaria et Latina. Et similiter forte est in aliis, licet ignoretur. Super hoc tamen dicat unusquisque quod magis rationale sibi videbitur. Sed in hoc semper residendum est, quod sapientis est imponere voces ad significandum eo modo quo superius dictum est.

Ad primum argumentum dicendum quod grammatici est dicere quid significetur per vocabulum ad significandum institutum, unde supponit institutionem ab aliquo praecedente sicut miles¹ supponit a fabro² compositionem ensis, quo utitur melius et promptius quam faber³.

Ad secundum dicendum quod licet grammaticus sit primus artifex secundum viam doctrinae, non tamen est primus simpliciter, sed philosophus primus; ille enim est magister omnium aliorum sicut prima philosophia est magistra omnium aliarum. Et ideo non docet grammatica nisi ex suppositione illius.

Ad tertium dicendum, quod grammaticus definit nomen et verbum et alias partes orationis supponendo vocabulorum⁴ significationes ab institutione; et sic non ostenditur per illas rationes, quod grammatici sit instituere voces ad significandum.

Ad illud per quod ostenditur quod logici sit instituere voces ad significandum, quia instituere est opus rationis, dicendum quod illa ratio non concludit quia opus rationis multiplex est et distinctum; est enim opus rationis apprehendere, componere, conferre et syllogizare et huiusmodi, et hii actus sunt proprii logici. Aliud est opus⁵ rationis, quod est voces ad significandum instituere considerata rerum proprietate et vocum proportionem; et hoc est sapientis seu primi philosophi. Et hic potest dici quantum ad hunc actum praecipue rationalis.

Ad aliud dicendum, quod non ostendit quod quilibet artifex specialis possit instituere voces ad significandum, sed quod omnis scientia utitur propriis et institutis vocabulis. Et

1 milites A militaris C. 2 fabrili C. 3 fabrilis C. 4 eorum A.
5 aliud est opus: alii sunt actus A.

hoc potest esse dupliciter, vel ab artifice proprio, vel ab alio communi ad omnes, ut est philosophus primus. Et per hoc patet solutio ad quaesita.

2.1.12

Tunc quaeritur quis sit finis institutionis vocis ad significandum et hoc est quaerere de eius necessitate, et haec quaestio soluta est superius in parte, et dictum est supra quod sermo est, ut dicit Plato, ad hoc ut praesto sint mutuae voluntatis indicia, hoc est ut possint homines mutuo significare suas voluntates, quod non contingeret facere distincte per voces naturaliter significativas. Et ideo fuit necesse voces ad significandum instituere^A.

Item: hoc non fuit datum communiter cuilibet, quia tunc quilibet iuxta propriam intentionem, quam haberet, vocem formaret et ad significandum institueret. Et ex hoc accideret confusio in institutionibus et non haberetur finis sermonis qui est significatio mutuae voluntatis; non enim intelligeret unus alium. Et ideo necesse fuit unum sapientem magistrum et doctorem omnium aliorum voces ad significandum instituere.

2.1.13

Sed quaeritur consequenter de forma vocis institutae ad significandum quid sit, et hoc est quaerere quid sit forma dictionis an scilicet significatio vel aliquid aliud.

Et videtur quod significatio. Dicit Augustinus quod significatio est in voce ut anima in corpore. Sed anima est in corpore ut forma¹ in materia. Ergo etc.

Item: finis intra et forma in idem concidunt. Sed vox est ad significandum ordinata sicut ad finem. Ergo significatio est eius forma.

¹ informata A.

A supra p.60-61.

Contra: si significatio esset forma dictionis, cum unius formabilis sit una forma tantum, tunc una vox unam haberet significationem tantum. Nunc autem videmus contrarium.

Item: si forma et materia sint unita indistanter, tunc ubi est unum et reliquum, per se vel per accidens; ex quo sequitur quod si significatio est forma dictionis vel vocis significativae, quod ubi erit vox, ibi erit significatio, et si vox in aere, et significatio in aere simul cum voce profertur, et significatio extra emittitur, quod non apparet esse verum, cum ipsa significatio vel sit res extra quae significatur vel intellectus, quorum nullum habet esse in aere.

Dicendum quod vox significativa potest dupliciter considerari: uno modo in quantum vox et secundum suam substantiam, et sic eius forma est modus proferendi. Alio modo in quantum est significativa, et sic potest dici quod eius forma est significatio, non substantialis sed accidentalis. Et quia eiusdem secundum substantiam possunt esse plures perfectiones accidentales, ideo possunt eiusdem vocis secundum substantiam et modum proferendi esse plures significationes, nec variatur¹ ipsa vox secundum substantiam, sed solum secundum rationem signi, sicut punctum unum secundum substantiam diversificatur in ratione principii et termini² multipliciter³.

Notandum tamen quod forma dicitur secundum plures modos: Quaedam enim est forma innata, et haec est naturalis, quae a principio intrinseco per agens naturale educitur, cuiuscumque generis sit, sive substantialis sive accidentalis. Alia est forma data ab extrinseco, et talis dicitur significatio respectu dictionis, non substantialis sed accidentalis, ut dictum est prius. Et voco significationem rei similitudinem, non ipsam rem, et qualiter huiusmodi unio fiat visum est supra^A.

Ad primum obiectum patet solutio, quia unius formabilis⁴ una est forma substantialis, tamen possunt esse multae accidentales.

1 numeratur A. 2 etiam A. 3 multiplicis C. 4 substantialis A.

A supra p.61 sq.

Ad secundum potest dici, quod sine dubio ubi est ponere vocem significativam, ibi est ponere significationem per accidens; est enim ibi significatio in signo et mediante signo ibi est, ubi est signum, nec est inconveniens nec oportet quod emittatur similitudo rei, quae est in anima, sed eius similitudo aliquoqualiter voci uniatur, sicut superius dictum est^A.

Nota quod multitudo significationum eiusdem dictionis causatur a multitudine intellectuum rerum significatarum; res enim significatae sunt multo plures nominibus, ut dicit Philosophus^B. Unde oportet unum nomen significare plures res.

Notandum etiam quod causa institutionis diversarum vocum idem significantium et diversorum idiomatum causatur a varietate cognitionum¹ et voluntatum diversarum nationum et diversarum gentium vel diversimode cogitantium.

2.2 De dictione

2.2.1

Tunc restat quaerere de dictione in se et quaeritur primo propter quid agit Priscianus in eodem libro^C de dictione et syllaba potius quam de littera et syllaba, cum magis conveniant littera et syllaba quam syllaba et dictio, quia utrumque est non-significativum.

Item cum in dictione sit duplex compositio, una vocis cum voce, alia vocis cum significatione, prima est litterarum et syllabarum in dictione, quaeritur propter quid tradit primam et non secundam, sed supponit eam ponendo eius ethimologiam cum dicit: dictio est ab eo quod dicendum aliquid significat^D.

Item quaeritur quare potius fit institutio ad significandum in voce quam in alio sensibili naturali.

Item quaeritur propter quid Priscianus non assignat aliqua accidentia dictioni in communi sicut facit aliqua litterae in communi^E et aliqua syllabae in communi^F.

¹ cogitationum C.

A supra p.61sq. B Soph.El.165alo-12. C Prisc.Inst.II. D Prisc.Inst.II.III.14 (ed.Hertz) GL II p.53. E Prisc.Inst.I.II.6 (ed.Hertz) GL II p.7. F ibid.II.II.12 (ed.Hertz) GL II p.51.

Ad primum dicendum quod cognitio syllabae quantum ad eius proprietates, quae sunt tempus, tenor, spiritus, dependet a cognitione dictionis, ut dicit Priscianus in littera^A, et ideo in eodem particulari libro agitur de dictione et syllaba. Sed proprietates attributae litterae possunt cognosci ut in pluribus¹ propter ordinem litterarum sine cognitione syllabae, et propter hoc in alio et alio libro agitur de eis, licet magis conveniant quantum ad illud quod utrumque est non-significativum; haec enim non fuit causa unionis nec separationis.

Ad secundum dicendum quod impositio vocis ad significandum est superioris artificis sicut dictum est prius^B et ideo grammatici non fuit hanc compositionem tradere.

Ad tertium dicendum quod tam vox quam intellectus habent esse in anima per cognitionem et per causalitatem. Nam anima est principium vocis effectivum primum ut anima est principium effectivum * * *² habent significari, principium dico per abstractionem. Intellectus enim facit universale et intentiones ut abstractas, ut dicit Commentator supra I. De anima, eo quod earum esse est per abstractionem a rebus, intellectus autem est causa abstractionis^C. Quia igitur tam vox quam intellectus significabilis per vocem habent esse ab intellectu ut a principio³ efficiente et causante, ideo in voce potius fit institutio ad significandum quam in alio naturali sensibili, et dico hoc de institutione, quae est primo et per se ad significandum intellectum.

Nam bene fiunt institutiones ad significandum in operibus aliquibus manuum ut patet in signis monachorum et etiam in aliquibus artificialibus rebus ut in figuris scriptis et imaginibus et circulis. Sed huiusmodi non sunt propria et immediata signa intellectuum, sed voces tantum.

Ad ultimum dicendum quod dictioni in communi nihil accidit quod conveniat cuilibet dictioni, quod oporteret si aliquid

1 +quod dico C. 2 lacuna 14 fere litterarum A, 9 vero C. 3 primo C def. A.

A ibid. B cf. supra 2.1.11 p.76-77. C Averroes In De an. I c.13, cf. etiam I c.8.

ei communiter accideret, sicut in aliis patet; quod enim accidit litterae communiter accidit omni litterae, et quod accidit syllabae communiter accidit omni syllabae, quod patet per omnia accidentia discurrendo. Hoc autem non contingit in dictione. Si enim aliqua accidentia dictioni communiter deberent accidere vel convenire cuilibet dictioni, haec magis essent species et figura, quia ista¹ consequuntur dictionis substantiam et originem sine quibus nulla est dictio. Sed non omni dictioni inest species ut accidens sicut praepositioni et participio, nec figura sicut nec interiectioni secundum Priscianum. Et ideo nullum potuit esse commune accidens dictioni.

Praeterea multipliciter² potest ostendi quod non debuit aliquid accidere dictioni communiter, quia illud aut esset accidens principaliter ex parte vocis, et hoc vel a parte substantiae vocis et modi proferendi - et haec sunt eadem cum accidentibus litterae et syllabae - aut a parte terminationis, et hanc non est dare communem ad omnem terminationem dictionis - alia est enim terminatio nominum et alia verborum, ergo non potest sic unum accidens generale dari - aut a parte originis sicut species et figura, et haec non conveniunt cuilibet dictioni ut accidens - aut esset accidens attributum dictioni a parte significationis, et hoc non potest esse, quia non est dare unam communem significationem ad omnes dictiones, nec unum modum significandi generalem³ quod consequitur tale accidens. Cum enim dictionum quaedam significant rem et quaedam significant modum rei, nihil autem sit univocum ad rem et ad modum rei, non possit aliquid attribui dictioni communiter quod conveniat universaliter dictioni. Unde breviter dicendum, quod accidentia partium orationis sequuntur partem gratia⁴ vocis et significati sub modo significandi, omnes autem partes non conveniunt in modo significandi, ideo nec in accidentibus. Et ideo non assignat Priscianus aliqua accidentia dictioni⁵ communiter.

1 +non A. 2 rationabiliter C. 3 accidentalem A. 4 quam A. 5 dictionis A.

2.2.2

Consequenter quaeritur de dictione et quaeritur primo cum dicere nihil aliud sit quam proferre et hoc convenit litterae, syllabae et dictioni¹ et orationi, tam littera, syllaba, dictio² quam oratio poterunt dici dictiones. Sed dicere est proferre cum intellectu proferentis, et hoc primo et per se convenit dictioni, ideo hoc nomen³ ei appropriatur. Unde dictio dicitur eo quod dicendum aliquid significat⁴, ut dicit Priscianus^A.

Item: dictionum quaedam significant rem, quaedam modum rei et quaedam significant res entes in genere, quaedam non. Talibus autem nihil est commune univocum, quare non debuit definiri in communi.

Dicendum quod omnes dictiones univocantur in eo quod omnes significant ex impositione, et ex hoc quod omnes constant ex voce pro materia et ex intellectu pro forma. Et licet ille intellectus non sit unius rationis in se, tamen in quantum est significabilis per vocem unius est rationis; et sic potest dictio definiri.

Consequenter quaeritur quare grammaticus definit dictionem in communi potius quam logicus, cum uterque dictionem consideret.

Item quaeritur cum dictio habet esse dupliciter: absolute et in ordine, propter quid non ponit definitionem dictionis absolute consideratae et extra orationem sed tantum ponit definitionem dictionis ut "est pars orationis"^B.

Item quaeritur qualiter definiatur dictio absolute considerata, hoc est ut extra orationem consideratur.

Item quaeritur propter quid definit grammaticus dictionem per esse partem orationis potius quam syllabam per esse partem dictionis.

Item quaeritur de ipsa definitione.

1 om.C. 2 om. C. 3 necessario A. 4 +vel habet C habet Prisc.

A Prisc.Inst.II.III.14 (ed.Hertz) GL.II p.53. B ibid.

Videtur enim quod non sit bona, primo quia convenit aliis scilicet litterae, littera enim est minima pars etc^A.

Et si dicatur quod littera non est pars orationis, contra: littera est pars dictionis, ergo et orationis, quia quidquid est pars partis est pars totius.

Item: videtur quod non conveniat omni quia dictionum quaedam est minor alia, ut dictio figurae simplicis quam compositae; et sic non quaelibet est minima.

Item: oratio ponitur hic in definitione dictionis et infra dictio in definitione orationis^B. Ergo est circulus, quod est inconueniens, quia ex hoc sequitur idem esse se ipso prius et posterius, notius et ignotius, quod patet ex hoc quod definitio datur per priora et notiora.

Item: cum omnis oratio sit constructa superfluum videtur addere 'constructae'.

Gratia huius quaeritur quid operetur unaquaeque particula posita in definitione et qualiter intelligatur illud verbum 'minima' quantum ad totum intelligendum.

Ad primum dicendum quod grammaticus dicit illud esse dictionem quod quantum ad significationem constituit orationem. Sed logicus dicit illud solum esse dictionem de quo aliquid dicitur vel quod de alio dicitur. Unde dicit duas esse partes orationis ut patebit post^C, et propter hoc communius considerat grammaticus¹ dictionem quam logicus², et ideo definit dictionem in communi, non logicus.

Ad secundum dicendum quod grammaticus non considerat dictionem principaliter nisi propter orationem; et propter hoc definit eam per orationem, cuius est pars. Potest tamen definiri dictio per suum significatum dicendo: dictio est vox primo instituta ad significandum, vel dictio est vox significatiua ad placitum.

Ad aliud patet solutio per dicta, quia grammaticus conside-

1 logicus A. 2 grammaticus A.

A Prisc.Inst. I. II. 3 (ed Hertz) GL II p.6. B ibid. II.IV.15 (ed.Hertz) GL II p.53. C cf infra p.103-106.

rat dictionem principaliter ut est constitutiva orationis, et ideo definit eam per orationem. Et quamvis syllaba possit sic definiri per esse partem dictionis, habuit tamen aliquid prius per quod convenientius potuit definiri.

Ad aliud dicendum quod definitio est bona, et quod convenit omni et soli; non enim convenit litterae, illa enim non est pars orationis, quia illud dicitur pars orationis quod voce et significatione constituit orationem, et hoc non convenit litterae.

Ad obiectum contra hoc dicendum quod ibi sumitur pars aequivoce, quia littera dicitur pars orationis quantum ad vocem, sed dictio est pars orationis quantum ad significationem et vocem, et ita non sumitur pars omnino univoce.

Item: minimum dicitur dupliciter uno modo secundum vocem, alio modo secundum significationem; primo modo convenit litterae, secundo dictioni.

Ad aliud dicendum quod dictio dicitur 'minima pars etc.' non absolute, sed in comparatione, quia nihil significativum invenitur in oratione minus dictione. Unde non est ibi comparatio dictionis ad dictionem sed dictionis communiter ad quidlibet quod non est dictio.

Per hoc patet solutio ad aliud, quia ibi non est circulus, quia cum definitur dictio per orationem datur definitio per finem, cum econverso datur definitio per materiam. Et ita non est uniformis definitio, et ideo non est circulus.

Ad aliud dicendum quod duplex est oratio perfecta, una quantum ad sensum sicut verba primae et secundae personae dicuntur habere sensum orationis perfectae, ut dicit Priscianus, alia dicitur quantum ad sensum et quantitatem vocum ut 'homo currit'^A. Et ideo dicit Priscianus 'orationis constructae', ut excludatur oratio quae est tantum perfecta primo modo.

Ad aliud dicendum quod 'pars' ibi ponitur ad differentiam litterarum et syllabarum, quae non sunt partes orationis nisi secundum vocem tantum, illud autem dicitur pars orationis

A P.Helias, Summa MS Paris Arsenal 711 f.15va-vb (e Glosis Guillelmi de Conchis, MS Paris.B.N.lat.1513o f.24va, MS Firenze San Marco 31o f.25ra).

secundum Petrum Heliam "quod voce et significatione¹ constituit orationem"^A.

'Minima' dicitur ad differentiam orationis quae est pars alterius orationis, sicut categorica hypotheticae, 'constructae' ponitur ad differentiam orationis quae est perfecta intellectu vel sensu, sed non quantitate vocum habentium complexionem. Una enim dictio sola habet quandoque vim orationis perfectae, sicut verba primae et secundae personae, et tamen non est ibi constructio. Ad differentiam ergo talis orationis quae non constat ex dictionibus, sed est dictio sola, dicitur 'constructae'. Sed quia contingit quod est oratio constructa sed vitiosa, ideo ad differentiam orationis vitiosae constructae dicitur 'in ordine compositae' hoc est in ordine congrue positae. Nam ubi non est congruitas non est compositio proprie. Vel potest dici quod hoc 'in ordine compositae' est expositio huius participii 'constructae', quasi diceret dictio est minima pars orationis ordinate compositae.

Ad ultimum dicendum quod dictio dicitur minima quantum ad totum intelligendum, id est quantum ad totius sensum qui habetur intellectu; oratio enim constat ex vocibus et significationibus dictionum materialiter. "Quod enim ex singulis vocibus paratur sensibile id est intelligibile, elementum est quodammodo orationis perfectae", ut dicit Priscianus^B; et sic significatio dictionis est materiale principium orationis. Vult ergo dicere Priscianus quod habito respectu ad intellectum totius orationis, qui resultat ex intellectibus partium, non reperitur in oratione aliquid minus dictione. Unde si haec dictio 'vires' dividitur in 'vi' et 'res', quae sunt voces significativae, non fit haec divisio² ad designandum intellectum totius orationis^C; intellectus enim totius orationis resultat ex intellectu eius quod de altero dicitur, et hoc est appositum, et de quo alterum dicitur, et hoc est suppositum,

1 sensu Petrus Helias. 2 dictio AC.

A P.Helias, Summa MS Paris Arsenal 711 f.15va. B Prisc.Inst.XVII.I.3 (ed. Hertz) GL III p.108,19-21. C Prisc.Inst.II.III.14 (ed.Hertz) GL II p.53, 10-12.

et circumstantiis eorum. Haec autem divisio non fit ad aliquod istorum designandum. Et sic patet qualiter istud verbum 'minima' quantum ad totum etc. intelligatur.

2.3 De oratione

2.3.1

Sequitur de secundo scilicet de oratione^A, et primo quaeritur, cum in hac parte non intendit Priscianus agere de oratione sed de dictione tantum, videtur quod non debeat ponere definitionem orationis in hac parte sed in minori volumine.

Item: logicus ante definitionem orationis ponit definitionem nominis et verbi, ex quibus constat oratio. Ergo videtur quod similiter deberet facere grammaticus; contrarium autem facit, quare male.

Oppositum videtur: omne quod ponitur in definitione alicuius, si non sit manifestum ex praecedentibus, indiget definitione ipsum declarante, quia definitio debet declarare¹ definitum, quod non faceret si eius partes essent² ignotae. Sed oratio ponitur in definitione dictionis, et non est manifestum quid sit ex praecedentibus, ergo etc.

Quod est concedendum. Unde ne videretur definisse ignotum per ignotius, ad evidentiam praedictae definitionis ponit Priscianus definitionem orationis, et sic solvit Petrus Helias^B. Potest etiam dici quod oratio cadit in definitione omnium partium orationis, ut patebit post, et propter hoc oportuit praecognosci orationem per definitionem. Quia etiam per respectum ad orationem accipiendus est numerus partium orationis, congruum fuit antequam determinaretur numerus partium orationis definire orationem, propter quam finaliter omnes partes orationis sunt.

Per praedicta patet solutio ad primum.

¹ notificare C. ² manerent C.

A Prisc.Inst.II.IV.15 (ed.Hertz) GL II p.53. B P.Helias, Summa MS Paris Arsenal 711 f.15vb.

Ad secundum dicendum, quod logicus considerat orationem ratione suae significationis, et quia trahit illam a suis partibus, quae sunt nomen et verbum, ideo ante definitionem orationis ponit definitionem nominis et verbi; significat enim¹ oratio ad placitum ratione nominis et verbi, ut ibi dicitur: "est enim oratio significativa non sicut instrumentum sed ad placitum quemadmodum dictum est"^A †glossa² in suis partibus†. Sed grammaticus considerat orationem proprie in quantum est finis³ ordinis dictionum per constructionem et in quantum est instrumentum loquendi. Hoc autem habet a dictionibus in quantum sunt ordinatae in ea, non a nomine in quantum nomen est vel a verbo in quantum verbum est, sed ab utroque in quantum dictio est. Et ideo sufficiebat ante definitionem orationis ponere definitionem dictionis ut dictio.

2.3.2

Sed videtur, quod oratio non sit definibilis quia solius incomplexi est definitio. Oratio est sermo complexus. Ergo etc. Maior patet quia solum incomplexum est ordinabile in genere, et solum tale est definibile.

Sed contra: oratio habet causam, et omne tale est definibile, ergo etc. Maior patet et minor similiter, quia causa est principium definitionis.

Haec pars est vera.

Ad primum dicendum quod duplex est definitio: una essentialis quae datur per genus et differentiam, alia dicens causam. Prima definitione definitur incomplexum solum, sed secunda definitur tam complexum quam incomplexum.

Vel potest dici quod hoc nomen 'oratio' potest considerari dupliciter: uno modo gratia significati et sic habet rationem incomplexi ut 'homo' vel 'animal', et sic definibile est hoc nomen 'oratio' per genus et differentias, et sic definitur in libro Perihermeneias, cum dicitur "oratio est vox significati-

¹ tamen C. ² glo C. ³ fons A.

A De int. 17al-2.

va etc.^A Alio modo potest considerari ratione suppositi vel appellati, et sic definitur per materiam et finem, et hoc modo definitur hic oratio, et sic habet rationem complexi. Ad argumentum respondendum est sicut prius.

2.3.3

Consequenter quaeritur de ipsa definitione.

Videtur quod non sit conveniens quia non convenit omni. Non enim omnis oratio est ordinatio etc. sicut ista 'de domo' vel 'homo albus', immo utraque deficit a perfectione; similiter 'vir alba' deficit a congruitate.

Item: convenit alii scilicet constructioni; nam constructio est ordinatio etc., et tamen constructio non est oratio.

Item: idem sunt ordinatio dictionum et oratio¹ quia ubi est unum et alterum, ut videtur, et econverso.

Item: congruitas et incongruitas sunt accidentia orationis, et per talia non debet assignari definitio², quare etc.

Item: grammaticus considerat extrema unius contrarietatis; unde considerat congruum et incongruum sicut logicus verum et falsum. Sed non in littera aut syllaba aut in dictione per se. Ergo in oratione. Ergo sicut logicus definit enuntiationem per verum et falsum in libro Perihermeneias, enuntiatio non omnis, sed in qua verum et falsum^B, ita grammaticus debet definire orationem per congruum et incongruum dicendo oratio est ordinatio dictionum congrua vel incongrua etc.

Item: si oratio est ordinatio dictionum etc., ergo dicendo 'unus, duo, tres', cum sit ibi ordinatio dictionum congrua³ perfectamque⁴ sententiam demonstrans^C, ibi erit oratio. Sed hoc videtur esse falsum, quia si esset ibi oratio, tunc esset ibi constructio, quare vel transitiva vel intransitiva. Non transitiva, cum nullus ponatur ibi obliquus; nec intransitiva

1 constructio A. 2 definitionem A. 3 +vel A +que C. 4 om. C.

A De int.16b26. B De int.17a2-3. C Prisc.Inst.II.IV.15 (ed.Hertz) GL II p.53,28-29.

quia illi nominatim¹ differunt in numero, scilicet 'unus' et 'duo' et 'tres' [et in genere]; nec est transitiva actus, quia non ponitur ibi verbum. Et sic non ponitur ibi constructio, quare nec oratio.

Dicendum quod definitio est bona; definitur enim hic oratio in suo esse potissimo, et talis est congrua et perfecta. Quod autem talis oratio hic definiatur patet, quia hic definitur oratio, quae est finis universalis omnium partium orationis, quod patet ex hoc quod ponit numerum partium orationis, et quam grammaticus principaliter intendit. Haec autem est oratio congrua et perfecta simpliciter, et ideo definitur hic oratio congrua et perfecta simpliciter, et sic oratio definitur ut consideratur in suo esse potissimo. Nulla autem alia oratio congruam perfectamque sententiam demonstrat, et sic definitio est convertibilis cum definitio.

Item datur per duplicem causam, ut patebit post, et ideo bona est definitio. Et sic patet solutio ad primum.

Ad secundum dicendum quod aliter dicitur oratio ordinatio dictionum et aliter constructio. Nam ordinatio dictionum refertur ad constructionem ut effectivum principium, ad orationem vero ut materiale principium. Et ita aequivoce dicitur constructio ordinatio dictionum et oratio.

Ad tertium dicendum quod ordinatio dictionum non est oratio nisi materialiter. Unde notandum quod ista se habent per ordinem: dictiones, ordo² dictionum per modum significandi et accidentia, et oratio; et dictiones sunt materiale principium orationis quasi remotum, ordo dictionum materiale principium proximum, cum ipse ordo dictionis ad dictionem est sicut forma partis ad partem, sed oratio est forma totius.

Ad aliud dicendum quod licet perfectio et congruitas sint accidentia orationis communiter, sunt tamen essentialia³ orationi in potissimo statu. Vel potest dici quod oratio potest considerari dupliciter, scilicet ut totum et ut instrumentum. Secundum primam considerationem perfectio et imperfectio, congruitas et incongruitas sunt eius accidentia. Sed in quantum

1 nomini A. 2 ordinatio C. 3 accidentia A.

consideratur ut instrumentum ordinatum ad finem debitum sic congruitas et perfectio sunt eius substantialia. Et simile patet in aliis instrumentis: securi enim ad bene secandum acuties est substantialis, sed secundum se accidentalis.

Ad aliud dicendum quod sine dubio grammaticus circa orationem considerat congruum et incongruum, sed congruum sicut eligendum, incongruum sicut fugiendum. Sed non definit orationem communiter sed in potissimo statu, ut dictum est, sicut logicus considerat enuntiationem communiter in libro Perihermeneias; et ratio huius est quod definitur oratio a grammatico proprie ut habet rationem finis.

Ad ultimum potest dici quod ordinatio dictionum dicitur dupliciter: uno modo communiter et large et sic quaelibet ordinatio¹ dictionum congruam perfectamque sententiam demonstrans, cum constructione vel sine, potest dici oratio, quasi oris ratio. Et sic "unus, duo, tres etc." possunt dici oratio. Alio modo potest dici oratio stricte ut dicatur oratio ordinatio dictionum etc. cum constructione. Et sic "unus, duo, tres" non sunt oratio. Definitur tamen hic oratio primo modo.

Et notandum quod oratio consideratur dupliciter ut totum et ut instrumentum, in quantum totum est dicitur ordinatio dictionum, in quantum instrumentum est dicitur congruam perfectamque sententiam demonstrans. In quantum totum est habet essentialem comparisonem ad partes, ex quibus constat materialiter, et sic dicitur ordinatio dictionum vel dictiones ordinatae; in quantum instrumentum respicit finem ad quem est et propter quem est, et sic dicitur congruam perfectamque sententiam demonstrans. Et sic patet quod haec definitio dicitur per materiale causam et per finalem.

2.3.4

Consequenter quaeritur de causis congruitatis et perfectionis orationis grammaticae, et quaeritur utrum congruitas cau-

¹ aggregatio C.

setur a generalibus modis significandi dictionum, qui sunt substantiales partibus orationis.

Et videtur quod non, quia congruitas est convenientia dictionum in construendo. Sed a parte modorum significandi generalium¹ non est convenientia in dictionibus, sed potius distinctio² et oppositio. Ergo nec congruitas. Maior satis patet. Minor patet, quia partes orationis distinguuntur penes modos significandi generales.

Si dicatur quod congruitas causatur a convenientia modorum significandi accidentalium, qui dicuntur consignificata dictionum, tunc ubi non erit convenientia consignificatorum, sed potius oppositio, non erit congruitas. Sed dicendo "capa Socratis" vel "video Socratem" in hiis orationibus non est reperire convenientiam consignificatorum. Ergo nec congruitatem.

Si dicatur quod ab utrisque causatur congruitas, a modis significandi generalibus etc., tunc arguitur sicut prius, quia ubi non erit horum convenientia nec congruitas secundum hoc.

Ad oppositum: sicut se habet littera ad litteram in constituendo syllabam, sic se habet dictio ad dictionem in constituendo orationem, sicut dicit Priscianus^A. Sed principium a parte ordinationis litterarum in syllaba est duplex, scilicet potestas substantialis litterarum et potestas accidentalis, sicut patet e tractatu orthographiae; non enim littera quaelibet cum qualibet littera constituit syllabam repugnante potestate substantiali et accidentali, ut consonans cum consonante sine vocali syllabam non constituit, nec cum vocali quolibet modo ordinata ad aliam constituentem³ syllabam facit. Ergo similiter a parte ordinationis dictionum in oratione principium erit duplex, scilicet modus significandi substantialis generalis correspondens substantiali potestati elementorum, et modus significandi accidentalis correspondens accidentali potestati litterarum.

Quod est concedendum. Unde modus significandi generalis⁴

1 substantialium C. 2 distantio(!) C diffinitio A. 3 consonantem A.

4 substantialis C

A Prisc.Inst.XVII.I.2(ed.Hertz) GL III p.108.

est primum principium, modus significandi accidentalis sive consignificata est proximum principium a parte constructionis. Unde generaliter dicendum quod unitas in modo significandi generali aut consignificandi¹ proportionis vel similitudinis est causa praecisa congruitatis. Et hoc patet discurrendo per omnes differentias constructionis.

Ad primum obiectum dicendum, quod duplex est convenientia: quaedam similitudinis et alia proportionis. Dictiones quae eadem eodem modo significant et consignificant habent convenientiam similitudinis. Sed ista convenientia non est causa congruitatis simpliciter; sic enim duo verba aptissime iungentur. Sed convenientia proportionis in modis significandi et convenientia similitudinis aut proportionis in modis consignificandi est ratio praecisa congruitatis in constructionibus; verbi gratia modo significandi nominis substantialis, qui est significare per modum substantis et ut de quo alterum dicitur, correspondet modus significandi verbi substantialis proportionaliter, qui est significare per modum motus et inhaerentis alii et ut quod de altero dicitur. Et hoc dico quantum ad constructionem quae est appositi cum supposito. Sed consignificata consignificatis² nihilominus³ exiguntur⁴ similia⁵ utrimque, ut sunt numerus et persona, et correlativa ut casus et modus, et cum haec concurrunt debito modo est congrua ordinatio suppositi cum appposito. Similiter genus verbi proportionaliter respondet casui obliquo nominis et propter hoc cum generi redditur debitus casus resultat congruitas. Similiter modo significandi praepositionis respondet modus significandi casualiter, et modo significandi⁶ adverbii modus consignificandi verbi, modo significandi adiective modus significandi substantive proportionatur. Similiter qualitati dependenti respondet obliquus. Si ergo⁷ generaliter inspiciatur ubique, videtur quod unitas sive convenientia in modo significandi generali aut consignificandi proportionis vel similitudinis

1 consignificati A. 2 om. C. 3 nihil A. 4 exigunt A. 5 sillaba A.
6 consignificandi C. 7 vero C.

est causa congruae ordinationis¹.

Ad primum ergo obiectum dicendum, quod distinctio et oppositio non auferunt convenientiam proportionis, sed similitudinis tantum; nam si sic, numquam contraria unirentur ad compositionem mixti.

2.3.5

Sed tunc quaeritur, utrum ipsum significatum faciat ad congruitatem.

Videtur quod sic, quia nomen exigit obliquum per naturam qualitatis dependentis. Sed illa qualitas significata² est. Ergo etc. Maior patet in hiis orationibus "capa Socratis", "pater Verbi"³ est ubique maritus".

Item: omnis oratio figurativa est incongrua. Sed haec est figurativa "spero dolorem" ut dicit Donatus^A. Ergo etc. Sed constat quod non est ibi repugnantia in modis significandi aut consignificandi, sed in significato⁴ tantum. Ergo ipsum significatum facit ad congruitatem.

Contra: verum et incongruum sunt diversae passionis, ergo habent diversa principia. Sed veritas habet ortum a significato dictionis, ergo congruitas vel eius oppositum non habet ortum a significato.

Dicendum quod significatum dictionis potest dupliciter considerari: uno modo ut ens vel non-ens et ulterius sub hiis differentiis quae sunt idem et diversum; et sic est principium veri vel falsi, quia ab eo quod res est vel non est etc.⁵ Alio modo potest considerari in quantum dependens est ad aliud, ut cuius est vel cui aliquid acquiritur⁶, et sic de aliis habitudinibus casuum; et sic est principium congrui vel incongrui secundum aptam vel ineptam ordinationem et causatur illa constructio per unitatem modi⁷ significandi constructibilis proportionalis modo consignificandi alterius.

1 congruae ordinationis: congruitatis et ordinatione A 2 significanda C.
3 pater Verbi: om. A. 4 consignificato A significatione C. 5 dicitur oratio vera vel falsa C. 6 +commodi vel incommodi C. 7 unitatem modi: idem modum C.

Ad primum dicendum, quod illa qualitas potest dupliciter referri ad suppositum, <uno modo***> et sic est¹ entis vel non-entis et facit unum cum eo cuius est; et sic non est principium construendi nec exigentiae. Alio modo ad terminum ad quem est; et sic est principium construendi et exigit obliquos tamquam terminum suae dependentiae.

Ad ultimum dicendum, quod duplex est figura: quaedam constructionis et quaedam locutionis. Prima aufert simpliciter congruitatem; secunda non aufert nisi proprietatem locutionis. In hac autem oratione 'spero dolorem' est figura locutionis quae dicitur acyrologia, quae est impropria dictionis positio quantum ad significatum, non quantum ad modum significandi sive consignificandi; ponitur enim 'sperare' pro 'timere' et est ibi vitium in intellectu, quia spes non est nisi boni, timor autem mali. Et reducitur hoc vitium ad soloecismum, quia ibi ponitur una dictio pro alia dictione, pro qua non est nata poni.

2.3.6

Quaeritur de causis perfectionis, et quia sicut dicit Priscianus sine nomine et verbo non est perfecta oratio^A, utrumque ad perfectionem orationis exigitur expressum vel subintellectum - nomen enim est materiale principium respectu verbi et ambo respectu orationis; est enim nomen repertum ad significandum id de quo alterum dicitur, verbum vero ut quod de altero dicitur, ut vult Philosophus^B et Petrus Helias^C similiter.

Sed quaeritur, quae dispositiones exiguntur a parte nominis in quantum est principium perfectae orationis et quot.

Ad quod dicendum quod tria, scilicet quod significet absolute ad excludendum relativum, substantive ut excludatur ad-

1 om.A.

A Prisc.Inst.XVII.II.12 (ed.Hertz) GL III p.116,9-10. B De int.16b7-8.
C P.Helias, Summa MS Paris Arsenal 711 f.17va.

iectivum adiective retentum - relativum enim et adiectivum nequunt per se supponere - exigitur etiam quod significet sub illa habitudine de qua alterum dicitur, hoc est in rectitudine. Haec principaliter exiguntur ex parte nominis in quantum est principium perfectae orationis. Ex parte verbi duo, scilicet inclinatio ad substantiam seu dependentia, et hoc est ex parte modi significandi essentialis; et modus consignificandi sub inclinatione finita, aliter enim non esset perfecta oratio, quia omne perfectum est finitum, intellectus enim¹ non quiescit nisi in apprehensione finiti² appositum de supposito finito. Non enim est finitum appositum⁴ nisi consignificatur³ sub inclinatione finita <ad> suppositum, et non quiescit intellectus nisi cum apprehendit appositum de supposito sub inclinatione finita; et ideo non est aliter perfecta oratio, eius autem perfectio determinatur in hoc quod perfecte quiescit intellectus audientis in ipsius apprehensione.

Sed quaeret aliquis numquid ista sufficiunt ad perfectionem simpliciter? Quia si non, igitur non sufficienter sunt enumerata perfectionis principia. Si sic, ergo his concurrentibus erit perfecta oratio; quare dicendo 'homo curro' et 'homo currit', cum praedicta in his inveniantur, erunt perfectae simpliciter.

Dicendum quod istae duae passionis congruum et perfectum habent ordinationem, et perfectum supponit congruum. Propter hoc praeter perfectionis principia enumerata exiguntur principia congruitatis, quae sunt accidentia similia, scilicet numerus et persona; oportet enim quod persona respondeat personae et numerus numero, sicut modus <modo et casus> casui. Et quod ostendit⁵ quod secundum hoc insufficienter sunt enumerata principia perfectionis, dicendum quod non sequitur, quia accidentia ista sunt principaliter⁶ principia congruitatis et per posterius perfectionis. Et patet simile in naturalibus: nullum enim totum est naturaliter perfectum nisi per aptam et congruam partium ordinationem. Unde sicut ibi per-

1 etiam A. 2 perfecti scilicet finiti C facta A. 3 significatur A.

4 om.C. 5 obicitur C. 6 om.C.

fectio totius naturalis supponit aptam et congruam partium ordinationem, sic in oratione grammatica perfectio supponit aptam ordinationem quantum ad modos significandi et¹ consignificandi².

Et adhuc dubitatur, utrum ad perfectionem orationis exigatur rectus casus.

Et quod non videtur, quia secundum Priscianum^A haec oratio est perfecta 'legitur a me', et tamen non est in ea rectus casus.

Sed dicendum, quod verbum impersonale passivae vocis includit in se nominativum rei verbi, secundum quod dicit Priscianus^B. Vel potest dici quod ille ablativus habet vim nominativi, in quantum resolvitur secundum Priscianum 'legitur a me' id est 'ego lego'. Et ideo est perfecta.

2.3.7

Sed quaeritur adhuc utrum perfectum supponat congruum.

Et videtur quod non, quia omnis figurativa constructio est incongrua, loquendo de figura constructionis; nec tamen omnis est imperfecta. Ergo perfectum non supponit congruum. Probatio mediae: quanto aliqua oratio perfectius et melius repraesentat sententiam proferentis eam, tanto perfectior. Sed figurativa perfectius repraesentat sententiam proferentis eam quam non-figurativa. Ergo etc. Minor patet, quia una de causis excusantibus figuram est expressio sententiae, ut dicit Remigius supra Barbarismum.

Item: si perfectum supponit congruum hoc erit solum in illa ordinatione in qua attenditur perfectio. Hoc autem est solum illa quae est apppositi de supposito. Ergo solum quantum ad illam perfectionem supponit congruum. Quare

1 aut C. 2 +consimiles aut proportionales C.

A Prisc.Inst.XVIII.VI.57 (ed.Hertz) GL III p.232,6. B cf.Prisc.XVIII.V.55 (ed.Hertz) GL III p.231,18.

possibile est a materia orationem in aliqua parte sui incongruam et vitiosam, et tamen perfectam <esse> ut si dicatur 'homo videt asinus' vel 'asinorum'.

Contra: congruum praeponitur perfecto in definitione orationis. Ergo perfectum supponit congruum.

Dicendum quod oratio perfecta potest considerari dupliciter: uno modo in quantum est instrumentum communiter loquentium; et sic supponit congruum simpliciter. Alio modo in quantum est instrumentum sapientis vel alicuius poetae¹ finem considerantis, ratione cuius oportet aliquando minus congrue loqui; et sic perfectum in oratione non supponit simpliciter congruum.

Ad primum argumentum dicendum quod orationem exprimere sententiam proferentis melius potest intelligi dupliciter: uno modo a parte intellectus vel affectus qui exprimitur tantum; et sic per orationem figurativam melius exprimitur aliquando affectus proferentis eam quam per simpliciter congruam; et sic procedit ratio. Alio modo ex parte modi exprimendi; et sic per orationem simpliciter congruam et perfectam melius exprimitur sententia proferentis eam quam per figurativam. Et quia perfectio simpliciter determinatur in oratione a parte illa, qua est instrumentum communiter loquentium et a parte modi significandi affectum animi, non a parte eius quod exprimitur tantum, ideo perfectum simpliciter² supponit simpliciter congruum.

Ad secundum dicendum quod dupliciter consideratur perfectio in oratione: una simplex³ et substantialis quae attenditur quantum ad ordinationem suppositi cum apposito, alia accidentalis quae attenditur quantum ad ea quae cum his ordinantur vel [ad haec ut] dispositiones respectivae suppositi et apppositi vel eorum determinationes absolutae vel respectivae. Dicendum ergo quod omnimoda perfectio orationis supponit omnimodam congruitatem, sed perfectio quodammodo congruitatem quodammodo sicut opponebatur. Sed sicut dicitur domus imperfecta non solum propter defectum principalium partium, sed propter ineptitudinem quam habet quandoque ad inhabitandum ab inepta

¹ porte A poema C. ² simplex A. ³ simpliciter C.

partium ordinatione, sic oratio non solum dicitur imperfecta propter partium principalium carentiam aut defectum, sed propter partium non¹ principalium ineptam ordinationem; tunc enim non est instrumentum ad movendum animum auditoris.

2.3.8

Quaeritur etiam iuxta hoc, quare oratio perfecta dividitur potius per differentias sumptas a parte verbi quam per differentias sumptas a parte nominis, scilicet per indicativam, imperativam etc.

Item quare potius dividitur per differentias sumptas a parte modi quam per differentias sumptas a parte alterius accidentis.

Item cum Philosophus dicat perfectum esse illud cui nihil deest^A, unicuique dictioni per se prolatae aliquid deest ad perfectionem orationis faciendam, quare videtur quod nulla dictio per se dicta sit oratio perfecta, et ita quod non habeat complete perfectam sententiam.

Hoc idem videtur per Philosophum I. Perihermeneias qui dicit quod non contingit uno nomine vel verbo voce enuntiare vel ipso proferente vel aliquo proferente vel aliquo interrogante^B; et ita nulla dictio est bona et perfecta oratio.

Dicendum ad primum, quod forma proprie distinguit rem a re, forma autem et actus sunt idem, actus autem dividit, ut dicit Philosophus X. Primae philosophiae^C. Et quia verbum est formale principium orationis perfectae et per naturam modi potius quam alterius accidentis, oratio perfecta dividitur potius per differentias sumptas a parte verbi et etiam a parte modi quam per differentias sumptas a parte alterius accidentis; modus enim principalis est accidens in verbo.

Ad alia duo dicendum quod oratio perfecta dicitur dupli-

¹ nisi A.

A Metaph.X.1o55a12. B De int.17a18-2o. C Metaph.VII,1o39a7.

citer: uno modo quantitate vocis et significationis ut illa quae constat ex supposito et apposito vocetenus expressis. Alia est oratio perfecta quantitate significationis vel intellectus; et hoc modo dictio potest esse oratio perfecta ut verba primae et secundae personae; et sic intelligit auctor. Tamen nulla dictio secundum vocem est oratio, sed pars orationis.

2.4 De numero partium orationis

2.4.1

Consequenter quaeritur de numero partium orationis et quaeritur utrum sit ponere unam partem orationis ad quam omnes aliae reducuntur.

Et videtur quod sic, quia dicit Philosophus I. Posteriorum, quod in quolibet genere est ponere unum primum principium ad quod alia reducuntur, et ponit¹ exemplum ut in numeris unitas, in geometricis punctus², et in demonstrativis intellectus etc. Ergo similiter in genere partium orationis erit ponere etc.

Item: omnes res entes reducuntur ad unum ens primum. Sed partes orationis sunt repertae ad significandum ens. Ergo erit reducere ad partem unam omnes quae significabit unum³ ens.

Item: Philosophus VIII.⁴ Topicorum⁵: convenientius est ponere finita principia quam infinita et unum quam plura^A. Sed pars orationis principium est orationis. Ergo convenientius est ponere unam partem quam plures.

Contra: illorum ad invicem non est reductio⁶, quorum non est unius ad alterum habitudo in causando, quia omnis reductio alicuius ad alterum est secundum aliquam rationem causalitatis. Sed partium orationis ad invicem non est aliqua habitudo causalis⁸, eo quod distinguuntur penes⁷ modos significandi oppositos⁸. Ergo non erit reductio partium orationis ad partem

1 et ponit: exponitur C. 2 +in melodiis tonum, in ponderibus unciam C.

3 omnes-unum: significantem primum C. 4 septimo C. 5 Physicorum C.

6 +possibilis C. 7 per A. 8 oppositionis A.

A Phys.I,188a17-18; VIII,259a8-9.

unam; modus enim significandi unius non refertur ad modum significandi alterius sicut causa¹. Et hoc est verum; sicut enim in principiis naturae non est reductio omnium principiorum ad unum principium naturae, ut formae ad materiam vel e converso, sed duo distincta per essentiam, sic est in partibus orationis quod non est reductio partium principalium ad invicem.

Ad primum obiectum dicendum, quod unum dicitur multipliciter: uno modo unitate naturae² sicut numerus, alio modo unum unitate³ praedicabilis primi ut substantia, qualitas, quantitas, tertio modo unitate aggregationis ut acervus lapidum. Dicendum ergo, quod in quolibet genere uno unitate prima et secunda est ponere unum etc., sed non in genere uno unitate aggregationis; et tale unum constituit partes orationis, non naturae vel coordinationis in linea praedicamentali.

Ad aliud dicendum, quod omnes res entes sunt ab uno ente primo, et ideo omnes res entes reducuntur ad unum ens primum. Sed non sunt omnes partes ab una parte prima, sed potius ab intellectu instituyente et significante.

Ad tertium dicendum quod verbum Philosophi debet sic intelligi: convenientius est ponere principia finita quam infinita - hoc est verum simpliciter - et unum quam multa, quando ita est quod unum sufficit. Sed ad constitutionem orationis non sufficit una pars, sed necessario exiguntur plures sicut ad compositum naturale plura requiruntur.

Item: partes orationis sunt repertae ad significandum modos intelligendi⁴ diversos, qui⁵ non possunt per unam partem significari, ut patebit post. Ideo necesse est plures partes, ut planius pateat.

Notandum est, quod necesse est plures partes orationis esse propter multas rationes: Una sumitur a parte rei significatae; sunt enim repertae ad significandum affectum animi, talis autem affectus aliquando⁶ causatur a re, aliquando a modo rei, et propter hoc necesse est plures esse quae ea significant.

Item: partes repertae sunt ad significandum diversimode

1 sicut causa: om.A. 2 materiae A. 3 +formae A. 4 significandi A.
5 quia C. 6 animi A.

rem eandem; eadem enim res aliquando intelligitur ut inhaerens et eadem aliquando intelligitur ut subsistens, isti autem diversi modi non possunt per eandem partem significari, sed per plures necessario.

Item: a parte finis, quia partes sunt finaliter ad significandum intellectum complexum, hoc autem non fit per partem unam.

2.4.2

Consequenter supposito quod sint plures quaeritur an plures debeant esse duabus.

Videtur quod non:

Omne intelligibile est substantia vel accidens. Sed omnes partes sunt repertae ad significandum aliquid intelligibile, ut dicit Philosophus I. Perihermeneias: "voces sunt significativae passionum quae sunt in anima"^A. Ergo omnis pars orationis significabit substantiam vel accidens. Quare sufficiunt duae.

Item: Perfectio orationis consistit in ordine suppositi ad appositum. Ergo tantum duae partes sufficiunt ad orationem, quarum una significet suppositum et alia appositum.

Item: Cum sint duo principia compositionis naturalis secundum rem ingredientia compositionem ut forma et materia, ergo duo erunt tantum principia orationis grammaticae secundum substantiam ingredientia.

Item: Dispositiones principiorum naturae non faciunt numerum cum principiis nec cum principiatis¹. Ergo nec dispositiones suppositi et appositivi faciunt numerum cum ipsis, nec cum oratione existente² ex ipsis. Et sic tantum erunt duae partes orationis grammaticae.

Contra: Omne quod voce et significatione orationem constituit est pars orationis. Sed omnis vox indeclinabilis voce et significatione constituit orationem. Ergo est pars orationis.

¹ principio A. ² constante C.

A De int.16a3-4.

Item: Unitas modi significandi et intelligendi res¹ unam partem orationis constituit, ut patet: 'currere, legere' diversa significant, sed modo eodem; ideo sunt unius partis orationis. Ergo similiter diversitas modi significandi et intelligendi rem eandem diversas partes constituit, quia cum alius sit modus significandi² substantiam et modum seu dispositionem substantiae, alia et alia est pars orationis.

Dicendum quod plures sunt partes orationis quam duae grammatice loquendo, quia plures sunt modi significandi vel intelligendi, propter quos sunt plures partes orationis repertae quam duae.

Ad primum ergo dicendum, quod partes orationis non sunt repertae ad significandum intelligibile solum sive sit ens sive non, sed sunt repertae ad diversimode significandum idem intelligibile aut diversum aut ad eodem modo significandum diversa intelligibilia et diversimode. Verbi gratia significatur eadem substantia nomine et pronomine, sed non eodem modo, quia non eodem modo intelligitur, sed diversimode. Similiter idem actus significatur per verbum et participium, sed non eodem modo; similiter eadem qualitas significatur nomine et adverbio, ut 'bonus' et 'bene', sed non eodem modo, quia non intelligitur eodem modo. Similiter diversa intelligibilia diversimode intelliguntur et diversimode significantur. Patet igitur quod partes orationis non sunt repertae ad significandum intelligibile, sed ad diversimode significandum idem intelligibile vel diversum. Et ideo propter diversitatem modorum significandi et intelligendi oportet multiplicari partes orationis. Et quia illi sunt plures duobus, ideo et partes sunt plures duabus.

Ad secundum dicendum quod ratio illa non concludit nisi quod sint duae tantum partes principales, quod est concedendum. Vel potest dici quod oratio potest dici perfecta simpliciter aut in genere; simpliciter perfecta non est quamdiu aliquid deest illi quantum ad modum significandi vel intelligendi ex

1 +diversas C. 2 +et intelligendi secundum C.

parte suppositi vel appositi, et¹ hi <***> exprimitur per partes indeclinabiles. Sed in genere potest dici perfecta, cum habet suppositum et appositum debito modo ordinata. Et tunc est perfecta quantum ad esse, sed primo modo quantum ad esse et bene esse.

Ad tertium similiter potest dici, quod non concludit nisi quod sint duae partes principales quae faciunt ad esse orationis, sed sicut sunt aliquae principiorum naturae dispositiones, et ita partium orationis principalium.

Ad quartum dicendum quod non est simile, quia dispositiones principiorum naturae² habent esse ex materia, et in illa habent ortum. Et ideo non faciunt numerum cum illa, sed potius sunt³ unum numero cum illa⁴, numero dico⁵ subiecti, licet forte in essentia differant. Sed dispositiones suppositi et appositi non habent esse ex illis, immo distinguuntur ab illis secundum modum intelligendi, et quia modus significandi respondet modo intelligendi, et ex modo significandi ex parte vocis et modo intelligendi constat pars, ideo⁶ dispositiones suppositi et appositi faciunt diversas partes orationis a supposito et apposito, et loquor de dispositionibus⁷, quae secundum modum significandi et intelligendi ab eodem differunt, quia forte non omnes sunt tales sicut nomina adiectiva.

Sed videtur quod tantum debeant esse quattuor iuxta numerum elementorum quattuor, aut quod decem iuxta numerum decem praedicamentorum.

Ad hoc patet solutio per iam dicta, quia non sumitur numerus partium orationis iuxta numerum rerum significatarum, sed iuxta numerum modorum significandi et intelligendi.

2.4.3

Sed quaeritur de hoc quod dicit Priscianus, quod "secundum dialecticos sunt tantum duae partes orationis"^A.

1 +hoc C. 2 +utri modo C. 3 potius sunt: possunt A. 4 uno A. 5 dici A. 6 nam A. 7 +suppositi sive subiecti C.

A Prisc.Inst.II.IV.15 (ed.Hertz) GL II p.54,5.

Videtur quod falsum dicit, quia dialecticus considerat omnem enuntiationem et eius partes. Sed duplex est enuntiatio: una simplex et alia composita, sive una simpliciter¹ et alia coniunctione una. Sed orationis compositae sive unius coniunctione pars est coniunctio. Ergo secundum dialecticum coniunctio est pars enuntiationis. Ergo et orationis.

Item: dialecticus considerat coniunctionem illativam, et illa non est nomen nec verbum. Ergo plures erunt secundum dialecticum.

Solutio: Secundum Priscianum "duae sunt partes orationis secundum dialecticos, scilicet nomen et verbum, alias vocat syncategoremata"^A; nam pronomen ponitur pro nomine, similiter participium pro verbo, et propter hoc alias partes vocat syncategoremata. Et per hoc patet solutio ad obiecta.

2.4.4

Sed quaeritur cum articulus esset pars orationis apud Graecos, quare non est pars orationis apud Latinos? et si dicatur quod Latini carent articulis, quaeritur quare hoc est. Item quaeritur quare apud quosdam Graecos articuli ponebantur pronomina, apud alios e contrario.

Solutio: ad primum potest dici, sicut dicebatur. Vel potest dici aliter, quod pars orationis apud Latinos dicitur illud solum quod voce et significatione constituit orationem. Ergo quod non significat, non est pars orationis. Sed articulus apud Latinos si esset non significaret, quemadmodum nec apud Graecos, sed tantummodo discretionem faceret vel circa supposita significati vel circa accidentia suppositi, sicut sunt genus, numerus vel habitudo casualis, quae per casum consignificatum² exprimitur, vel alia³ consignificata, et ideo articulus etiam si esset apud Latinos non esset pars orationis. Graeci vero communius accipiebant 'partem orationis', omne

1 simplex A. 2 significatum A. 3 +accidentia sive C.

illud 'partem' vocantes quod aliquo modo¹ est signum veniendi in notitiam rei vel eius proprietatis². Carent autem Latini articulis in voce Latina, quia forte in vulgari aliquos habent, quia habent dictiones articulares idem facientes apud Latinos tam in coniugatione quam declinatione quod articuli apud Graecos. Nec etiam fuit tantum necesse apud Latinos habere articulos sicut apud Graecos, eo quod distinctio vocum Latinarum maior est a parte finis quam apud Graecos, ex qua parte discernuntur accidentia; ipsi enim Graeci sub eadem vocis terminatione saepe comprehendunt omnia accidentia, ad quorum discretionem faciendam necessarii fuerunt articuli.

Ad ultimum dicendum quod discretio fuit causa, quare quidam pronomina vocaverunt; nam utrique discretivi sunt, ut dicit Priscianus de articulis^A. Sed breviter dicuntur, quia in tractatu pronominis de his aliquid dico, et quia magis proprium est de eis in I. Minoris tractare.

2.4.5

Numerus partium orationis sumitur hoc modo: omnis pars orationis aut significat aliquid per modum rei aut per modum circumstantiae alicuius rei. Si per modum rei, hoc est dupliciter, quia aut significat ut in habitu et quiete aut ut in actu et motu. Primo modo dupliciter, quia omne significans ut in habitu et quiete significat sicut stans et fixum, et sic per modum substantiae; substantia autem dupliciter potest considerari, sicut dupliciter potest intelligi, quia aut intelligitur ut informata et determinata qualitate aut non. Primo modo significatur per nomen, secundo modo per pronomen. Si vero sit pars significans ut in actu et motu, hoc dupliciter potest esse, quia aut significat per modum actus vel motus uniti subiecto et substantiae, et sic est participium, aut per modum actus distantis a substantia, et sic est verbum. Si vero sit

¹ quod aliquo modo: quo aliquod A. ² proprietates A.

A cf. Prisc. XVII.V.27 (ed.Hertz) GL III.p.125,8-14.

pars orationis significans per modum circumstantiae rei, aut ergo per modum substantiae aut actus aut utriusque indifferenter; primo modo est praepositio, secundo adverbium, tertio coniunctio, de quarum partium significatis in locis propriis patebit. Nunc autem tantum de significato sive proprietate nominis per se quaeritur.

2.5 De proprio nominis.

Quaeritur primo de proprio nominis: dicit Priscianus quod "proprium est nominis significare substantiam et qualitatem."^A

Et videtur falsum dicere multipliciter:

Omnis sermo incomplexus significat intellectum incomplexum. Hoc per se patet. Omne nomen est per se sermo incomplexus. Ergo etc.

Item Philosophus in Praedicamentis: "singulorum incomplexorum aut significat substantiam aut qualitatem etc."^B Sed nomen est incomplexum. Ergo aut significabit substantiam aut qualitatem etc., non autem utrumque¹.

Item Philosophus: "contingit intelligere unum solum, scire autem multa."^C Arguitur ergo sic: quod non contingit intelligere non contingit significare. Sed non contingit intelligere multa simul. Ergo non contingit plura significare per dictionem unam simul. Ergo uno nomine non contingit significare substantiam et qualitatem, cum haec sint multa.

Item: omne significans duo diversa genere est aequivocum. Sed substantia et qualitas sunt duo diversa genere. Ergo omne significans substantiam et qualitatem est aequivocum. Ergo omne nomen cum hoc significet est aequivocum.

Item: si omne nomen significet substantiam et qualitatem, erit abire in infinitum. Probatio: quia illa substantia nomen est et illa qualitas similiter, quae significatur. Ergo significabit substantiam et qualitatem, et ita in infinitum.

¹ plura A.

Item: aliquod nomen est quod non significat qualitatem, quia omnis qualitas est forma. Si ergo omne nomen significat qualitatem, ergo significat formam. Sed omnis forma discernit aliquid ab aliquo. Ergo omnis qualitas discernit aliquid ab aliquo. Ergo vocabulum quod non discernit aliquid ab aliquo non significat formam. Sed hoc nomen 'aliquid' non discernit. Ergo non significat formam. Nec est dicendum quod discernit non-ens ab ente, quia non-entium aliud chimaera et aliud hircocervus. Ergo aliquod non-ens est chimaera et aliquod hircocervus¹. Et sic hoc nomen 'aliquid' non discernit non-ens ab ente. Ergo non significat formam.

Item: in nulla forma conveniunt omnia, in 'aliquo' conveniunt omnia, quia 'aliquid' praedicatur de omnibus. Ergo non significat formam, et sic non significat qualitatem.

Item: si hoc nomen 'aliquid' significat formam, aut abstractam² aut concretam³. Si primo modo, sic est dicibile de abstractis solum. Si secundo modo, sic de concretis solum, et utrumque est falsum, cum de omnibus sit dicibile.

Item: Aliquod nomen est quod significat qualitatem solum ut 'album', unde dicit Philosophus quod 'album' solam qualitatem significat^A.

Item: aliquod nomen est quod neutrum significat, ut hoc nomen 'nihil' non significat substantiam nec qualitatem, quia substantia et qualitas sunt⁴ aliquid entis, 'nihil' autem non significat⁵ aliquid entis.

Item: nomina figmentorum ut 'chimaera', 'hircocervus' non videntur significare substantiam et qualitatem, cum figmenta nihil sint.

Item: De hoc signo 'omnis' et similibus videtur quod non significant substantiam, quia sic possent supponere, nec qualitatem, quia sic ponerent illam circa supposita [†]universalis[†], quod⁶ est substantivum illius. Et sic cum illa sint singula-

1 Ergo-hircocervus: om.A. 2 abstractive C. 3 concrete C. 4 significant A. 5 est C. 6 quo C.

ria poneretur universalitas circa supposita, quia illa est qualitas consignificata.

Gratia huius quaeritur an sit idem dictum significare substantiam et qualitatem vel cum qualitate, et¹ quare potius dicitur [gratia cuius] nomen significare substantiam et qualitatem vel cum qualitate² quam cum forma.

Quaeritur etiam de illa substantia quae significatur per nomen, cuius substantia sit, utrum materia vel forma vel compositum vel esse. Non primo modo, quia sic non extenderet significatum nominis nisi ad vocabula, quae significant res quae habent materiam partem sui, et sic hoc vocabulum 'deus' non esset nomen, sicut nec³ hoc vocabulum 'nihil'. Nec secundo, quia sic hoc vocabulum 'materia' non esset nomen et multa alia. Nec tertio modo pari ratione qua in praecedentibus. Nec quarto, quia tunc vocabulum substantiae compositae vel etiam nomina figmentorum⁴ non essent nomina.

Similiter quaeritur de qualitate significata, si est forma, quae sit perfectio materiae vel consequens compositum vel substantialis vel accidentalis, et non reperietur aliqua istarum.

Item: si est propria vel communis. Et videtur quod neutra, quia dividitur per propriam et communem, et sic ipsa non est propria nec communis nisi potestate solum.

Propter hoc quaeritur quid in quolibet nomine sit ponendum loco substantiae, quid pro qualitate. Hoc arguitur in multis dubitationibus.

Quod autem nomen significat substantiam et qualitatem dicunt auctores; Priscianus et Donatus dicunt quod significat substantiam cum qualitate et Philosophus omne nomen primo significat formam et ex consequenti aggregatum ex forma et supposito^A.

Item: omne nomen est repertum ad significandum substantiam quae est subiectum et principium actus, quia⁵ agere et pati est proprium substantiae ad quam significandum imposita sunt

1-2 et-qualitate: om.A. 3 sicut nec: similiter A. 4 +vel nihil C.
5 qui A.

A vide infra p.111, B.

nomina, ut dicit Philosophus^A. Sed non est subiectum nisi per hoc quod est substantia, nec principium nisi per hoc quod est qualitas. Ergo nomen significat substantiam qualificatam¹.

Dicendum quod "nomen significat substantiam et qualitatem", sicut dicit Priscianus^B, sed haec coniunctio 'et' non tenetur copulative, sed potius unitive seu informative, ut sit sensus: substantiam et qualitatem, id est substantiam qualificatam vel qualitate informatam. Et similiter cum dicit Donatus: nomen significat substantiam cum qualitate id est formam² qualificatam³. Unde non significat haec ut duo, sed ut unum, nec utrumque aequè primo, sed unum per alterum, et⁴ unum propter alterum, utrobique tantum unum, ut dicit Philosophus, significat, primo et principaliter qualitatem⁵ et secundario substantiam⁶. Unde Philosophus: omne nomen significat primo formam et secundario aggregatum ex forma et supposito^C. Substantia ergo qualitate informata est unus intellectus constans ex eo quod intelligitur et quo⁷ et⁸ est intellectus incomplexus secundum quod intellectus incomplexus opponitur complexioni enuntiationis, non secundum quod opponitur complexioni quae dicitur compositio ex his quae sunt 'quod est' et 'quo' vel 'quod intelligitur' et 'quo'; talis enim compositio reperitur in significato nominis secundum modum compositionis naturalis ex materia et forma.

Ad primum ergo dicendum quod nomen significat intellectum incomplexum eo modo quo dictum est, licet significet substantiam et qualitatem, quia hoc significat ut unum non ut duo diversa, sed unum propter alterum. Nec valet hoc argumentum:

1 vel qualitatem C. 2 informatam C. 3 qualitate C. 4 unde nisi A.
5 substantiam A. 6 qualitatem A. 7 et quo: om. A. 8 om. C.

A Prisc. Inst. XVII.II.14 (ed.Hertz) GL III p.116,26.

B Prisc.Inst.II.IV.18 (ed.Hertz) GL II p.55,6. C cf. Metaph. V, 1017a 19-30. Formula allegata expressis verbis invenitur apud Averroem (ad loc. cit. = V c.14). Cf. etiam Metaph. VII, 1031b 22-28. Quo ad doctrinam vide quae Robertus scripsit infra capitulo de nomine, in parte (3.1) quam non transcripsimus: "Dicendum quod utraque (scil. qualitas quae perficit materiam et qualitas quae est consequens compositum) significatur per nomen, sed forma compositi explicite et de vi vocis, reliqua implicite. Et hoc forte est idem cum eo quod dicit Philosophus, quod omne nomen primo significat formam, secundario aggregatum ex forma et supposito. Formam totius primo significat, secundario formam partis. Et hoc proprie intelligo dictum esse de nominibus rerum" (A f.32va; C f.88vb).

significat intellectum incomplexum, ergo significat substantiam vel qualitatem tantum, quia intellectus incomplexus non dicitur a privatione cuiuslibet complexionis¹, sed complexionis² quae exprimitur per enuntiationem. Unde breviter potest dici quod intellectus incomplexus potest dupliciter dici: vel simpliciter vel in respectu. Omnis pars orationis significat intellectum incomplexum respectu orationis, non simpliciter.

Ad secundum dicendum quod in illa divisione Philosophi, qua dicit singularium incomplexorum etc.^A sumitur substantia et qualitas alio modo quam in significato nominis, ut post patebit. Et ideo procedit obiectio in aequivoco, et ideo non valet.

Ad tertium dicendum quod multa ut multa sunt non contingit intelligere intellectu uno, quia intellectus convertit se totaliter ad illud quod intelligit, sed multa unita vel intellecta ut unum possunt intelligi intellectu uno, et praecipue cum sic se habent quod unum per alterum intelligitur, sicut est in nomine.

Ad quartum dicendum quod significare duo diversa genere contingit dupliciter: ita quod utrumque est significatum completum vocabuli significantis, ut marinum et latrabile canis, aut ita quod neutrum est completum significatum vocabuli, sed utrumque pars est significati, et taliter etiam se habentia quod unum per alterum intelligitur. Primo modo significare est aequivoci, secundo univoci, et sic significatur substantia et qualitas per nomen.

Ad quintum dicendum quod substantia et qualitas prout sunt partes significati nominis non sunt nomina sed partes nominis, et ideo non contingit procedere in infinitum, sed est status in illis.

Ad sextum dicendum quod hoc nomen 'aliquid' formam significat vel qualitatem, qua discernitur aliquid ab aliquo, non res a re, sed nomen a nomine, significat enim communiter per

1 & 2 compositionis C.

A Cat.1b25-27.

quod discernitur a nomine proprio. Vel potest dici quod significat formam qua ens discernitur a non-ente, quia sicut 'ens' per se dictum stat pro [non]¹ ente, ita 'aliquid' per se dictum stat pro [non] ente², sed ex adiuncto potest trahi ad supponendum³ pro figmentali ente, ut cum dicitur 'chimaera est aliquod figmentum', et ita significat formam⁴ qua discernitur ab aliquo in significando.

Ad septimum dicendum quod hoc nomen 'aliquid' dupliciter potest sumi: uno modo ratione rei significatae, quod autem est significatum est commune ad res omnium generum, sicut ens suo modo, et hoc modo non est forma pura vel qualitas, sed commune abstractum a⁵ substantiis et accidentibus, concretis et abstractis. Alio modo potest sumi ratione modi significandi, et ita significat [quid sit] forma(m)⁶, non quae est res⁷ determinata in genere praedicamentali, sed in genere modi significandi distincta ab aliis speciebus nominum, et in illa non⁸ conveniunt omnia.

Ad octavum dicendum quod illa ratio procedit a parte rei significatae, et ac si qualitas quae est pars significati nominis esset qualitas realis determinata in genere, non modus significandi.

Ad aliud dicendum quod 'albedo' et 'albus' significant substantiam eo modo quo grammaticus loquitur de substantia, licet forte non eo modo quo logicus loquitur. Similiter hoc nomen 'nihil' et nomina figmentorum et signa per quae exprimitur modus loquendi significant substantiam cum qualitate, secundum quod de hiis loquitur grammaticus, ut postea patebit.

Dicit etiam⁹ grammaticus quod nomen significat substantiam cum qualitate potius quam cum forma, quia forma magis dicit rem quam modum; dicitur enim forma foris manens respectu materiae, unde proprie dicitur forma respectu materiae. Sed qualitas dicit magis modum quam rem et habet rationem magis communem.

1-2 non-ente: stat per partialitatem veri esse C. 3 suppositum C om. A.
 4 forma AC. 5 abstractum a: abstractiva A. 6 quid-forma: quod fuit sub
 forma C. 7 +significata vel A. 8 om. A. 9 enim A.

Et ut plenius et melius videamus quae dicta sunt, videndum est quid in nomine assignandum sit loco substantiae et quid loco qualitatis.

De hoc autem multae et diversae sunt opiniones:

Dixerunt enim quidam quod significare substantiam et qualitatem¹ est significare compositum ex substantia et qualitate. Haec autem compositio tripliciter potest intelligi, vel metaphysica ex quod² est et quo est^A, aut naturalis ex materia et forma, aut logica ex genere et differentia. Propter hoc dixerunt quidam quod substantia significata per nomen est ipsa res quae significatur et qualitas illud quo est res. Verbi gratia hoc nomen 'homo' significat rem quae est homo pro substantia, ipsam vero humanitatem, qua homo est homo pro qualitate. Et eodem modo dicunt in aliis esse intelligendum.

Alii dicunt secundo modo quod hoc nomen 'homo' cum sit significans rem naturalem compositam ex forma et materia habet ipsum quod substat³ formae naturali pro substantia, et hoc est ipsum corpus, et animam ipsam pro qualitate.

Tertii dicunt quod nomen appellativum sicut 'homo' habet genus vel commune aliquod quod est significans loco substantiae, differentiam vero pro qualitate^B. Et confirmant hoc per illud quod scribitur in Praedicamentis quod nomina secundarum substantiarum significant quale quid ut 'homo' quale quid significat^C, illud autem 'quid' exprimitur nomine⁴ generis, 'quale' autem vel qualitas nomine differentiae. Et similiter nomen generis habet aliquid eo communius ut 'ens' vel 'aliquid', quod habet loco substantiae, et differentiam⁵ qua id communius contrahitur pro qualitate, sicut singularia seu propria nomina significant commune contractum per accidentales proprietates et id commune habet loco substantiae et⁶ proprietates superadditas⁷ loco qualitatis. Constat enim unumquodque indivi-

1 et qualitatem: cum qualitate C. 2 quo AC. 3 substantiae AC +est C.
4 ratione A. 5 differentiarum C. 5-6 differentiam-et: om.A. 7 supra-dictas A.

A P. Helias Summa MS Paris Arsenal 711 f.17vb. B Hanc opinionem adhuc sustinuit Rogerus Bacon (Summa grammaticae, opera hactenus inedita 15,p.6).
C Cat.3b15.

duum ex VII proprietatibus quorum collectionem impossibile est in alio reperire^A.

Sed prima¹ positio non videtur valere, tum propter hoc quod cum tale genus compositionis sit reperire in omnibus causatis et sic in omnibus partibus orationis aliis, tunc omnis pars orationis significat substantiam cum qualitate, sed ipsum quod est esset loco substantiae et quo est loco qualitatis, quod est absurdum dicere. Tum etiam quia quod est et quo est sunt principia entis causati in quantum ens est ens. Sed talia principia non considerat grammaticus, sed entis significabilis in quantum significabile. Et sic quod est et quo est non sunt partes nominis in quantum signum est. Et hoc etiam patet per hoc quod per nomen significatur non tantum ens sed etiam non-ens. Non-entis autem principia non sunt quod est et quo est.

Item secunda positio satis erronea est, tum quia significatum nominis tam secundum se quam secundum suas partes considerat grammaticus. Principia autem naturae quae sunt materia et forma non considerat. Et sic non debet materia quae est alterum extremum poni pro substantia nominis et forma pro qualitate. Tum quia tunc non esset adaptandum proprietatem nominis omni nomini, cum non omne nomen significet talem rem quae constat ex materia et forma naturali.

Tertia autem positio non potest sustineri, tum propter rationem prius tactam, quia grammaticus non considerat principia rationis quae sunt genus et differentia, tum etiam quia non esset aptandum² communiter omni nomini quod videtur velle Priscianus. Hoc autem non habent pro inconvenienti qui hoc³ dicunt, quod non ponit Priscianus proprietatem convertibilem cum omni nomine, sed tantum convenientem soli et non omni. Sed tunc in veritate non videtur valere sufficientia partium orationis quam ostendit Priscianus secundum istos. Nam quod non⁴ significat substantiam cum qualitate propria vel communi rei

1 haec A +sic C. 2 +proprium C. 3 qui hoc: quo huiusmodi ponunt unde C.
4 om. A.

corporalis vel incorporalis non est nomen, cum ei non conveniat definitio nominis. Ergo si multae dictiones sunt tales sicut nomina figmentorum, nomina accidentium abstractorum¹, non videntur substantiam significare, et signa distributiva et collectiva, cum haec non sint ponenda pronomina aut² verba aut³ participia et sic de aliis, secundum hoc erunt alterius partis ab hiis. Et sic non probant sufficientiam nec numerum partium orationis Priscianus nec Donatus, cum tamen hii sint famosiores doctores grammaticae. Nec est dicendum quod quaedam horum [ut signa]⁴ significant substantiam ex adiuncto et qualitatem sicut sunt signa vel adiectiva, quia⁵ secundum hoc tunc non essent nomina nisi ex adiuncto. Quare secundum se prolata non essent nomina, sed alterius partis a nomine.

Sunt etiam multae aliae falsae opiniones circa significatum nominis incidentes, quas omnes ut frivolas et inanes relinquo.

Tamen duas alias quae videntur probabiles et verae, videlicet quod substantia quae per nomen significatur non habet veritatem entis praedicabilis finiti et sic non est substantia materia, forma vel compositum seu essentia, sed est ratio suppositi entis vel non-entis indifferenter finiti aut infiniti. Et quia sic sumptum habet rationem fixi et permanentis, planum est quod significare substantiam est significare quid per modum stantis seu permanentis, finite aut infinite, sive sit ens sive non-ens; aequae enim significantur per nomina entia vel non-entia, imaginata vel ficta. Et dico [sumptum]⁶ ens significari per nomina significantia res naturae⁷, non-ens per nomina quae significant <figmenta>; figmenta⁸ enim⁹ animi finitum suppositum dant intelligere, [†]alia nomina infinite alia ut pote¹ quaedam nomina adiectiva[†]. Qualitas autem quae significatur per nomen non est res praedicabilis, sicut opponebatur², sed modus intelligendi suppositum in natura communi vel propria aut quasi communi aut quasi propria secundum

1 +ut albedo C. 2 om.A. 3 autem A. 4 ut signa: sint C. 5 quare A.
 6 suppositum C. 7 nec C. 8 signum A. 9 tum A. 1 potentiam C.
 2 opponebant A.

quod dicit Donatus quod "nomen est pars orationis cum casu corpus aut rem communiter proprieve significans"^A. Dico autem communi vel propria propter nomina quae significant res veras, quasi communi vel quasi propria dico propter signa quae non significant proprium vel commune sed quasi proprium vel quasi commune. Similiter quaedam sunt nomina quae non significant communiter, sed quasi communiter ut sunt Thebae et Athenae quae pluraliter significant. Ergo ratio suppositi indifferenter entis vel non-entis finiti aut infiniti est substantia nominis, sed ratio qua intelligitur illud suppositum in natura communi aut propria aut quasi communi aut quasi propria qualitas nominis est. Quasi in idem redit quod dicit Petrus Helias quod significare substantiam in nomine nihil aliud est quam significare aliquid, quidquid illud sit, absque tempore et sic ut in quiete et permanentia cum casuali inflexione. Per primum excluditur participium, per secundum verbum, quod non inflectitur per casus, et omnes partes indeclinabiles. Qualitatem autem significare est significare communiter aut proprie vel quasi communiter aut quasi proprie^B, sicut superius dictum est. Et per hunc modum significandi separatur a pronomine, quia significare sic est aliquem modum qualitatis determinare, pronomina autem solam substantiam significant, quae est suppositum quantum est ex vi vocis.

Volunt etiam aliqui dicere quod substantia significata per nomen est significatum per hanc dictionem 'qui' vel 'quod' sicut in participio^C, qualitas vero id per quod contrahitur. Sed tunc est quaerere de hoc nomine 'qui' quid est in eo loco substantiae, quid loco qualitatis.

Hiis visis facile est videre quid in quolibet nomine loco substantiae sit ponendum, et quid loco qualitatis. Nam in hoc nomine 'nihil' ratio suppositi etc. est loco substantiae, similiter in nominibus figmentorum, similiter in hoc nomine 'Deus' et in hiis nominibus 'materia', 'forma', 'unum', 'ens',

A Donat. Ars Maior II.1 (ed. Keil) GL IV p.373,1-2. B P. Helias, Summa, MS Paris Arsenal 711 f.18rb. C cf. Prisc. Inst. XVII, XIII.82 (ed. Hertz) GL III p.154,10.

'aliquid'. Qualitas vero est modus intelligendi suppositum in natura communi vel propria vel quasi communi vel quasi propria. Vel potest assignari substantia in omnibus hiis significare sine tempore cum casuali inflexione, ut prius dictum est, et qualitas eo modo quo prius dictum est. Notandum tamen quod qualitas sic dicta communiter respondet nomini, et non est res sed modus intelligendi et significandi in quo omnia nomina uniuntur. Haec autem qualitas in nominibus specialibus contrahitur per qualitatem veram communem vel propriam ut in hiis: 'homo', 'Virgilius', quandoque per qualitatem fictam ut in nominibus figmentorum, quandoque per qualitatem quae est modus loquendi non qualitas rei sicut in nominibus distributivis aut collectivis ut sunt 'omnis', 'nullus'. Unde haec qualitas communis omni nomini contrahitur per qualitatem communem rei significatae vel modi¹ loquendi vel qualitatem propriam. Et sic potest responderi ad quaestionem qua quaerebatur utrum qualitas nominis esset communis vel propria, quia substantialis est nomini et communis, sed non est substantialis et communis eo modo quo substantialis qualitas significata per unum nomen dividitur contra accidentalem alterius, nec communis eo modo quo dividitur communis qualitas nominis contra propriam.

Et sic patet solutio quaesitorum. De proprietatibus aliarum partium orationis suo loco quaeretur.

1 om. A +significandi C.

3

A f.32r; 32v-33r
C f.88r; 89r-90r

NOMEN EST PARS ORATIONIS...

....Circa lectionem istam^A multa incidunt dubitabilia. Primum est de definitione nominis, secundum de eius ethimologia, tertium de accidentibus in generali, quartum de speciebus propriorum nominum, quintum de differentia propriorum nominum ad appellativa, et ibi specialiter quaeretur de appellativis nominibus substantivis et adiectivis, sexto de speciebus communibus nominibus propriis et appellativis, septimo de speciebus nominum appellativorum communium primitivis et derivativis, quae sunt circiter XX, quorum quaedam definitionem habent, octavo et ultimo quaeritur per ordinem de speciebus appellativorum nominum derivatorum in suis locis propriis...

3.3

Consequenter quaeritur de accidentibus nominis in generali, et sunt duo quaerenda. Primum est, quid sit accidens nomini, secundo de numero accidentium nominis.

3.3.1

Circa primum sic: Si aliquid accidit nomini, illud non est vox nec significatio, quia ambo¹ sunt substantialia nomini. Quare aut hoc erit aliquid quod praeter principale significatum datur intelligi aut terminatio vocis aut modus significandi² aliquis secundarius, quicumque sit ille.

Si dicatur quod accidens nominis est aliquid quod datur

1 ambae A. 2 intelligendi A.

A Prisc.Inst. II.V 22 sqq. (ed.Hertz) GL II p.56,29 sqq.

intelligi praeter principale significatum, tunc per hoc nomen 'vir' dentur intelligi unitas¹ et² masculinitas. Haec duo erunt secundum hoc accidentia nomini et hoc falsum, quia haec accidunt rei.

Si dicatur quod accidens est ipsa terminatio nominis, hoc etiam falsum est, quia ipsa terminatio [†]praecedat nomen^{3†} quare⁴ non est accidens.

Si dicatur, quod hoc est aliquis modus significandi secundarius ut modus significandi masculine vel alio modo, hoc non videtur omni nomini convenire, quia hoc nomen 'lapis' non significat lapidem sub masculinitate, quia si sic, falso significaretur.

Propter hoc quaeritur quid sit hoc aliquid accidere nomini, et qua necessitate ponitur aliquid accidere nomini, utrum etiam accidentia insunt nomini casu solum vel ex institutione. [Potest dubitare aliquis] Petrus Helias dicit quod accidentia nominis non sunt accidentia secundum veritatem sed per similitudinem^A. Unde non sequitur 'sunt accidentia nomini, ergo sunt accidentia'. Dicuntur autem accidentia similitudinarie, quia variantur circa significatum nominis, ipso non variato, ut patet discurrendo per omnia accidentia.

Dicendum tamen, quod eo modo quo nomen est aliquid in genere artis secundum veritatem attribuuntur ei accidentia secundum veritatem.

Dicendum ergo, quod nominis accidens potest dici illud quod praeter principale significatum datur intelligi, quod potest esse vel ex ipsa terminatione vel ex ipsa significatione.

Notandum etiam, quod in ipsis nominibus aliquando accidentia sunt modi intelligendi rem significatam per aliquam proprietatem in re repertam, et illi modi intelligendi a parte vocis dinoscuntur, ut masculinitas et femininitas in his nominibus 'lapis', 'poeta'. Alii non sunt modi intelligendi rem significatam sed dispositiones rei⁵ acceptae ut masculini-

1 virilitas C. 2 quod A. 3 om.A. 4 quia A. 5 +intellectae vel C.

tas et femininitas in his nominibus 'vir', 'femina'; et tunc primo sunt dispositiones huiusmodi rei accidentia, et per consequens nominis significantis, nec hoc est inconveniens.

Vel potest dici, quod sicut in naturalibus compositis est ponere materiam et formam et eorum coniunctionem, et aliqua debentur coniuncto principaliter gratia materiae, quaedam principaliter gratia formae, quaedam gratia utriusque, sicut patet in homine. Longitudo enim et brevitudo, gravitas et levitas debentur ei gratia corporis, sentire et vivere¹ gratia animae, comedere et currere² gratia utriusque. Sic est in nomine et in dictionibus universaliter considerandum. Constat enim nomen et universaliter quaelibet dictio ex voce pro materia et significato pro forma. Unde haec duo coniuncta sunt dictio. Unde quod accidit nomini per se loquendo et proprie, accidit ei gratia vocis aut gratia significationis aut gratia coniuncti, ut postea patebit. Hoc non est ipsum significatum nec terminatio, sed potius aliquis modus consequens ad significatum sub tali terminatione vel tali. Nihil tamen prohibet quin illud, quod accidit rei, accidat per accidens dictioni, quia per rem significatam; sed non accidit per se et primo. Et sic patet quid sit accidens nominis.

Ad aliud dicendum, quod accidentia assignantur nomini ad declarandum eius originem, ad consignificandum rei proprietatem et ad constituendum orationem per constructionem. Ad declarandum eius originem sunt species et figura, ut patebit. Ad consignificandum rei proprietatem sunt alia accidentia, et etiam ad constituendum orationem per constructionem; sicut enim non venit materia ad faciendum compositum naturale nisi disposita, sic nomen non venit in constitutionem orationis nisi per dispositiones eius³ et hae sunt accidentia seu consignificata.

Ad aliud dicendum quod accidentia quaedam sunt nominalia, quaedam realia, ut patebit post^A. Realia sunt, ut dictum est, gratia significationis, alia ab institutione.

1 videre A. 2 vivere A. 3 meas A om. C.

A cf. infra 4 p. 127 sq.

3.3.2

Tunc quaeritur de numero accidentium nominis et videtur quod debeant esse plura quam quinque, quia Donatus ponit qualitatem et comparisonem nomini accidere^A.

Item: Omne nomen est alicuius personae, et sic accidit ei persona. Item hoc videtur per rationem quia dicit Priscianus^B quod numerus et persona sunt syniuga, quare si unum accidit nomini, et reliquum.

Item: Nomini accidit supponere, appellare, quare suppositio et appellatio accidunt nomini ut accidentia.

Item: Declinatio contingit nomini non substantialiter, sed accidentaliter. Ergo debet poni inter accidentia. - Item: Coniugatio ponitur inter accidentia verbi, quare similiter inter accidentia nominis declinatio.

Contra: Species est substantialis nomini cum sit primaria vel secundaria institutio eius. Ergo non est accidens.

Item: Figura est proprietas constandi ex litteris, syllabis vel dictionibus. Sed constare ex his est substantiale nomini, ergo secundum hoc figura non est accidens.

Et sic sunt pauciora accidentia nominis quam quinque. Propter hoc quaeritur numerus et sufficientia accidentium nominis penes quid accipitur.

Ad primum dicendum, quod Petrus Helias dicit^C, quod Donatus^D in hoc erravit qui posuit qualitatem accidere nomini, quia qualitas est substantialis nomini, cum propter illam significandam principaliter sit institutum.

Comparatio vero accidit nomini, sed non omni; et ideo non ponitur a Prisciano accidere.

Et si opponatur pari ratione: Persona non debet accidens verbo assignari, quia non convenit omni, dicendum quod licet persona non conveniat omni verbo simpliciter, tamen convenit omni verbo perfecto, sed comparatio non convenit omni nomini

A Donat. Ars Maior II.1 (ed. Keil) GL IV p.373,4. B Prisc. Inst. VIII.100 (ed. Hertz) GL II p.448,1. syniuga cf. ibd. XVII.175 GL III p.198,11.

C P. Helias Summa MS Paris Arsenal 711 f.21ra. D Donat. Ars Maior II.1 (ed. Keil) GL IV p.373,3.

perfecto. Et propter hoc persona accidit verbo, comparatio vero non accidit nomini i.e. non ponitur simpliciter accidere.

Si vero velimus sustinere Donatum, quod qualitas sit accidens nomini, dicendum est quod duplex est qualitas nominis: una originis et alia significationis. Qualitas primo modo est idem quod species et accidens nomini, sed secundo modo est substantialis nomini.

Sed tunc obicitur secundum Donatum quod non intelligit Donatus de qualitate originis, sed significationis et ita¹ "qualitas nominum bipertita: Aut enim unius solius est et proprium dicitur aut multorum et appellativum dicitur"^A. Dicendum ergo, cum qualitas unius aut multorum sit qualitas propria aut communis, videtur quod qualitas, quae accidit nomini, sit propria aut communis et sic qualitas significationis, non originis.

Ad hoc potest responderi quod qualitas originis dupliciter potest dividi, uno modo materialiter; et sic dividitur per qualitatem nominis proprii et appellativi, unde Priscianus ait: "Species sunt communes tam propriorum quam appellativorum"^B. - Ecce divisio a parte materiae vel subiecti. - Alio modo formaliter, per primitivam et derivativam.

Dicendum ergo quod Donatus dividit qualitatem quae accidit nomini a parte materiae tantum, non a parte formae, per propriam et communem, ut sit sensus: qualitas accidentalis vel est nominis significantis proprie aut nominis significantis communiter.

De comparatione dicendum sicut prius. Et vide² quod supposito quod comparatio et qualitas sint accidentia nomini, sicut dicit Donatus, non tamen Priscianus est diminutus, quoniam sub specie continentur.

Vide tamen quod aliqui dicunt quod qualitas est accidens i.e. modus intelligendi qualitatem proprie et communiter.

1 et ita: quia dicit quod C. 2 et vide: om. A.

A Donat. Ars Minor I.1.(ed.Keil) GL IV p.355,8-9. B Prisc.Inst.II.V.22 (ed.Hertz) GL II p.57,9.

Eadem enim est qualitas propria et communis in re. Sed puto quod melius dicitur primo modo.

Ad aliud dicendum, quod nomen per se nullius est personae. Hoc nomen namque 'homo' ex forma prolationis suae vocis nulli personae se prohibet. Aequae enim pertinet ad loquentem de se et ad eum ad quem quis loquitur, et ad eum de quo quis loquitur, cum quilibet eorum possit dici 'homo'. Et propter hoc non enumeratur inter accidentia nominis.

Vel potest dici quod non assignatur persona pro accidente nominis, quia mos est auctorum illa solum assignare accidere parti per quae aliqua variatio accidit in re ipsa. Et quia non variatur nomen per personam, ideo persona non ponitur accidens nominis.

Sed contra: Variatur, ut videtur in vocativo. Ad quod dicendum quod illa variatio non fit ex natura nominis sed ex natura demonstrationis. Omnis enim vocativus includit demonstrationem pronominalem.

Item: Principalior differentia personae est prima, et quia illa non inest nomini, ideo persona non accidit nomini, quia omne quod ponitur accidere alicui, debet inesse secundum omnes differentias ipsius aut principaliores.

Ad aliud de numero dicendum, quod non est simile, quia numerus inest nomini secundum sui differentias et per illum est declinatio nominis. Non autem sic est de persona.

Dicuntur autem persona et numerus syniuga, quia cuicumque inest unum et reliquum. Non tamen oportet quod assignetur utrumque ut accidens, nisi secundum utrumque fiat variatio in subiecto aut utrumque insit secundum omnes sui differentias aut principaliores.

Ad aliud dicendum, quod suppositio et appellatio sunt proprietates termini in quantum est principium veri aut falsi, non in quantum est principium congrui aut incongrui. Et ideo sunt proprietates, quas considerat logicus solum et propter hoc non ponuntur inter accidentia nominis.

Ad aliud dicendum, quod tota declinatio nominis fit per genera, numeros et casus, et ideo declinatio sub illis accidentibus continetur. Quod autem obicitur de coniugatione in

tractatu de verbo inferius solvetur^A. Similiter quomodo species et figura sunt accidentia inferius dicetur.

Ad ultimum dicendum: omne quod accidit nomini aut accidit ei principaliter gratia vocis aut gratia significationis aut gratia utriusque. Si gratia vocis, sic est species, quia primitivae speciei dicitur nomen quod ad nullius vocis repertae prius similitudinem ad significandum instituitur, derivativae quod est repertum ad alicuius vocis prius repertae similitudinem. Unde in derivatione proprie attenditur formatio vocis a voce. Unde species sic describitur communiter: Species est primaria vel secundaria dictionis positio. Si gratia significationis, aut ergo qualitatis gratia, et sic genus, aut gratia substantiae et sic numerus, qui sequitur materiam vel suppositum.

Aut gratia utriusque, et sic est casus. Casus enim est dispositio relatae substantiae ad aliud ut principium aut terminus vel subiectum. Non est autem principium nisi in quantum est qualitas nec subiectum aut terminus nisi per rationem substantiae. Tamen unumquodque istorum trium potest esse accidens vocale¹ et reale.

Si autem sit accidens consequens nomen indifferenter a parte vocis et significati, sic est figura, cuius proprietas est posse dividi in quattuor partes intelligibiles vel non posse dividi.

Aliter potest sumi numerus et sufficientia accidentium et forte melius: Omne quod accidit nomini aut accidit ei gratia originis vel gratia constructionis.

Si gratia originis hoc est dupliciter, quia origo dictionis est principium dictionis, principium autem dictionis est duplex aut a quo vel ex quo.

Ratione originis secundum quod origo dicitur principium a quo inest ei species, quae secundum Petrum Heliam^B et Prisci-

¹ nominale C.

A 5.4.2 p.142 sq. B P.Helias Summa MS Paris Arsenal 711 f.2ovb cf. Cahiers 11,p.33.

anum est proprietas derivandi ab aliquo vel a nullo¹. Ratione originis secundum quod origo dicitur principium ex quo inest ei figura. Unde Petrus Helias dicit "quod figura est proprietas constandi ex litteris vel syllabis quantum ad figuram simplicem vel ex dictionibus quantum ad figuram compositam"^A.

Si gratia constructionis sit accidens, tunc aut intransitive tantum, aut quandoque transitive et quandoque intransitive. Ultimo modo est casus, quoniam est principium constructionis quandoque intransitivae cum verbo et quandoque transitivae cum verbo et etiam casualis cum casuali. Si intransitivae tantum aut est principium constructionis intransitivae casualis cum casuali tantum, et sic genus, aut indifferenter casualis cum casuali et cum non casuali, et sic numerus. Genus enim est principium constructionis substantivi cum adiectivo, numerus autem non tantum substantivi cum adiectivo, sed etiam nominis cum verbo.

¹ verbo C.

DE ACCIDENTIBUS REALIBUS VEL NOMINALIBUS

A f.48v

C f.117v

Antequam ad alia accidentia nominis accedatur primo quaeritur, utrum ex institutione dentur accidentia nomini an ex principali significatione. Et quod non primo modo videtur, quia in nominum impositione non dicitur Petrus sub genere masculino <***> erit huius rei nomen. Quod non secundo modo videtur quia 'lapis' non significat principaliter rem alicuius sexus.

Item: Si ex institutione genus non insit nomini, tunc nomina rerum insexatarum nullius erunt generis. Et similiter potest quaeri de aliis accidentibus.

Solutio: Dicendum quod accidentium nominis quaedam insunt ei ratione principalis significati, et haec sunt secundaria significatio secundum Petrum Heliam^A, ut genus reale et numerus; alia nominalia¹ tantum et haec ei insunt ex sola institutione, <***>² ut patet de genere nominis; imponitur enim nomen rei insexatae ad significandum sub aliquo signo³ generis.

Quaeritur utrum accidentia realia ponantur circa rem significatam principaliter per dictionem, hoc est quaerere utrum dicendo: 'Socrates est' ponatur singularitas circa Socratem et masculinum genus. Nam si non, cum principalia significata erunt eadem si accidentia non sunt de integritate significati, tunc dictiones diversorum numerorum idem significabunt, et ita idem est dicere 'Socrates est homo' et 'Socrates est homines' et ita cum una vera, et reliqua. Similiter: 'Socrates est', 'Socrates fuit', 'Socrates erit'.

Dicendum quod accidentia realia non copulantur in supposi-

1 vocalia C. 2 fortasse supplendum: ut species nominis; alia realia et nominalia. 3 sexu A.

A P.Helias Summa, MS Paris Arsenal 711 f.20vb (ed.Fredborg) Cahiers 11, p.33.

tione per dictionem neque sunt de integritate significati. Nec tamen aequipollent istae duae: 'Socrates est homo' et 'Socrates est homines', quia dictio existens in institutione sub una terminatione habet poni pro re una, sub alia pro pluribus et sub una terminatione pro mare, sub alia pro femina.

Quaeritur utrum accidentia valeant ad constructionem, quod non videtur, quia dispositiones in diversis existentes non sunt causae aptae vel ineptae constructionis. Sed accidentia realia sunt dispositiones existentes in diversis significatis dictionum. Ergo etc.

Solutio: Dicendum quod accidentia realia sunt in ipsis dictionibus per significationem, et ideo per sui conformitatem faciunt ad congruitatem et incongruitatem. Potest tamen dici quod congruitas et incongruitas principaliter attenduntur penes accidentia quae insunt dictioni secundum terminationem ipsius et modum significandi adiunctum ei.

Quaeritur utrum constructio attendatur solum penes accidentia, quod sic videtur, quia 'lego' et 'lectum'¹ significant idem, quare si penes significatum attenderetur² constructio, cum eodem congrue construerentur³.

Si penes accidentia tantum, ergo ubi non erit dissonantia in accidentibus, erit congrua constructio. Ergo haec est congrua constructio 'Omnis Socrates currit', quod est falsum.

Dicendum quod sicut in constructione aliarum rerum non tantum considerantur accidentales dispositiones naturae, sed debita substantia - nam domus non fit ex quacumque materia ut ex glacie vel nive propter defectum debitae substantiae quae exigitur ad materiam domus - similiter in dictionibus, licet dispositiones accidentales sint convenientes, oportet tamen modos significandi esse convenientes ultra hoc, et propter hoc haec est incongrua 'omnis Socrates', quia singulare ponitur loco universalis.

1 lectio C. 2 attendatur A attenduntur C. 3 construeretur AC.

5

A f.61r-62v
C f.136v-139v

VERBUM EST PARS ORATIONIS....

.... Circa lectionem istam^A incidunt quinque dubitabilia, primum est de definitione verbi, secundum de commendatione definitionis, tertium de ethimologia et nominis 'verbi' appropriati-
one, quartum de accidentibus verbi in generali, quintum de
causis defectus in accidentibus partium orationis.

5.1.1

Circa primum sic proceditur: Dicit Priscianus quod verbum est pars orationis etc.^B Quaeritur ergo primo utrum verbum sit pars orationis et videtur quod non, quia nihil, quod per se prolatum est oratio, est pars orationis. Verbum per se prolatum est oratio. Ergo etc. Maior patet per se et minor similiter, quia verba primae et secundae personae prolata habent intellectum orationis perfectae, sicut dicit Priscianus supra tractatum de syllaba in fine, quod invenitur perfecta syllaba in una littera et perfecta oratio in una dictione^C.

Item: omnis pars orationis habet intellectum incomplexum, verbum vero non, ergo non est pars orationis. Maior patet quia in hoc differt dictio ab oratione, quia oratio significat intellectum complexum, dictio vero non. Verbum autem significat intellectum complexum, quia designat compositionem actus ad substantiam.

Contra: Omnis dictio est pars orationis. Sed omne verbum est dictio, cum dicendum aliquid significet, ergo est pars orationis.

A Prisc.Inst.VIII.I.1 (ed.Hertz) GL II p.369,2. B ibid. C Prisc.Inst. II.II.12 (ed.Hertz) GL II p.51,18-20.

Item Philosophus: non contingit aliquo interrogante aut ipso proferente uno nomine vel verbo voce enuntiare^A, ergo unum verbum per se prolatum non est enuntiatio. Ergo non est oratio. Haec pars est vera.

Ad primum dicendum quod minor est falsa. Ad probationem eius dicendum quod verum est quod verbum per se prolatum aliquando habet intellectum perfectae orationis, non tamen est oratio, quia oratio est sermo constans ex pluribus non solum secundum intellectum sed secundum vocem. "Numquam enim contingit uno nomine vel verbo voce¹ enuntiare"^B.

Ad secundum dicendum, quod principalis significatio verbi non est compositio, sed res verbi quae est extremum compositionis; et illa res est quid incomplexum.

Vel aliter: Perfecta oratio est dupliciter: quaedam est perfecta voce et significatione ut 'homo currit', quaedam significatione tantum. Nihil quod est oratio perfecta primo modo per se prolatum est pars orationis, sed quod est oratio perfecta secundo modo potest esse pars orationis, quia una dictio est oratio perfecta significatione.

Secundo supposito quod verbum sit pars orationis, quaeritur an sit una. Videtur quod non. Pars orationis dicitur una ab unitate unius modi significandi generalis. Talem modum significandi non habet verbum. Ergo etc. Maior satis patet quia quoddam verbum significat agere, et quoddam pati, quoddam utrumque. Haec autem non conveniunt in uno modo significandi. Ergo etc.

Si dicatur quod Immo! contra: quae non conveniunt in uno univoco, non conveniunt in uno modo significandi univoco. Sed agere et pati non conveniunt etc. sicut nec actio et passio, quia sunt duo generalissima. Ergo etc.

Item: Quaedam verba significant substantiam ut verba vocativa et substantiva, quaedam vero accidens. Substantia et accidens non univocantur in aliquo, ergo nec significata verbo-

1 vere A.

A De int.17a 18-20. B De int.17a 18-20.

rum. Ergo secundum hoc non univocantur in uno modo significandi, et sic verbum non est pars una.

Contra: Magis conveniunt agere et pati quam ens et non-ens. Sed ens et non-ens conveniunt in uno modo significandi generali, ergo etc. Maior patet et minor similiter, quia 'homo' et 'chimaera' et hoc ipsum 'nihil' conveniunt in modo significandi generali.

Item: Quaecumque conveniunt in unitate motus et subiecti, possunt convenire in uno modo significandi et intelligendi generali ratione illius unitatis. Sed actio et passio, ut probat Philosophus, sunt motus unus et in patiente sicut in subiecto^A. Ergo etc.

Quod est concedendum. Conveniunt enim omnia verba in hoc quod est significare aliquid per modum motus.

Ad primum obiectum dicendum, quod minor est falsa et etiam ea quae ad ipsam probandam inducitur. Ens enim et non-ens in nullo univocantur nec analogantur, et tamen conveniunt in uno modo significandi generali secundum grammaticum.

Vel potest dici quod actio et agere, passio et pati dupliciter possunt considerari. Uno modo in quantum sunt entia ordinabilia in genere, et sic non univocantur in aliquo; alio modo in quantum sunt significata¹, et sic quae aequae sunt significata² per unam partem orationis necessario univocantur in uno modo significandi generali illius partis.

Ad secundum dicendum quod unitas in partibus orationis vel distinctio non attenditur a parte eius quod significatur, sed a parte modi significandi generalis. Unde licet quaedam verba significant substantiam et quaedam accidens, quia tamen omnia illa conveniunt in uno modo significandi generali, ut melius patebit post, ideo verbum est pars una.

1 significativa A singularia C. 2 singularia C def. A.

5.1.2

Consequenter quaeritur an sit pars separata a nomine et videtur quod non. Sicut se habet significatum verbi ad significatum nominis, ita videtur quod se deberet habere verbum ad nomen. Sed significatum verbi non est separatum a significato nominis, immo est in illo sicut proprietas in subiecto; agere enim et pati est proprium substantiae nominis ut dicit Priscianus.^A Ergo verbum non est pars separata a nomine.

Item. Quaecumque sunt indivisa secundum intellectum debent esse indivisa secundum significatum¹ et modum significandi, quia voces primo sunt institutae² ad significandum intellectum. Sed agere et pati et substantia nominis sunt indivisa secundum intellectum, ergo etc. Minor patet quia non potest intelligi agere et pati sine substantia, et sic sunt indivisa agere et pati et substantia secundum intellectum.

Item: Verba finiti modi et infiniti sunt eiusdem partis, sed verba infinitivi modi sunt nomina, ut dicit Philosophus I. Perihermeneias: Verba secundum se dicta nomina sunt, et exponit Boethius: verba infinitivi modi.^B Ergo etc.

Contrarium videtur quia omne quod determinat situm in oratione distinctum a situ³ nominis, est pars orationis distincta a nomine. Hoc patet de se. Verbum est huiusmodi. Ergo etc. Minor patet per Petrum Heliam dicentem: "Sicut nomen est repertum ad significandum illud de quo alterum dicitur, ita verbum est repertum ad significandum quod de altero dicitur."^C Unde nomen non potest praedicari sine auxilio verbi substantivi, nec verbum subici sine auxilio nominis infiniti ut sic dicendo: Homo qui currit ambulat.

Solutio: Dico quod verbum est pars separata a nomine ratione sui modi significandi et ratione finis propter quem est.

1 significationem C. 2 instrumenta A. 3 substantia A.

A Prisc.Inst.XVII.II.14 (ed.Hertz) GL III p.116,26. B De int. 16b2o. Boethius in loc. (ed.Meiser p.62). C P.Helias Summa MS Paris Arsenal 711 f.61rb.

Ad primum obiectum dicendum quod maior est duplex, quia significatum verbi potest dupliciter intelligi, uno modo ipsa res significata, alio modo modus significandi. Primo modo maior est falsa et minor vera, secundo modo e converso.

Ad secundum dicendum quod aliqua possunt dici indivisa secundum intellectum dupliciter: aut ita quod intellectus unius et intellectus alterius convertitur, ut definitio et definitum, aut ita quod intellectus¹ unius dependet ab intellectu alterius sicut a sua causa sed non e converso. Quae primo modo sunt indivisa secundum intellectum debent esse indivisa significatione, sed quae secundo modo non; et sic se habent agere et pati respectu substantiae.

Vel aliter quaecumque sint indivisa secundum intellectum i. e. secundum modum intelligendi debent esse indivisa secundum modum significandi. Sed quae sunt indivisa secundum intellectum secundum quod intellectus est res intellecta, non oportet esse indivisa secundum modum significandi, sed possunt esse divisa.

Ad ultimum dicendum quod verba infinitivi modi dicuntur nomina quantum ad officium supponendi, sed verba sunt quantum ad proprietatem significandi. Primo modo intelligit Philosophus. Vel pro tanto dicuntur nomina quia significant rem verbi sub inclinatione infinita et quasi absolute in tantum quod potest fieri locutio de eis sicut de nomine, et hoc redit in idem quod prius.

5.1.3

Consequenter quaeritur, dato quod verbum sit pars orationis separata quid sit illud specialiter per quod ab aliis distinguitur et in specie partis ponitur; et quaeritur, an sit modus? Et videtur quod sic: illud per quod verbum separatur a qualibet parte orationis et omni convenit est illud per quod verbum reponitur in specie partis. Sed modus est huiusmodi, quia parti nulli alii a verbo est modus, omni autem verbo

¹ significatum A.

convenit. Ergo etc.

Contra: Nullum accidens verbi dat ipsi esse specificum. Sed modus est accidens verbi. Ergo etc. Maior et minor satis patent.

Haec sunt vera; quo supposito quaeritur utrum illud quod dat esse specificum et ipsum separat a quolibet alio sit compositio; et videtur quod sic: illud quo mediante verbum est nota dicendi de altero reponit verbum in specie partis. Probatio, quia completiva differentia definitionis verbi datae ab Aristotele est haec quod verbum est nota dicendi de altero^A.

Item: dicit Petrus Helias quod verbum est repertum ad hoc ut designet illud quod dicitur de altero^B. Sed compositio est illud quo mediante verbum est dicibile de altero. Ergo etc.

Contra: Nihil quod est medium uniendi unum cum altero est principium separandi alterum ab altero nec dandi esse specificum. Compositio est huiusmodi. Ergo etc. Maior patet quia non est idem principium uniendi et separandi duo. Minor satis patet.

Item: eadem est compositio quae importatur per verbum et quae significatur per participium, quare secundum hoc non dabit illa compositio verbo esse specificum.

Supposito quod compositio non sit tota causa separandi verbum ab alio, tum propter rationes dictas tum quia ipsa compositio non habet rationem completi extremi in¹ oratione, verbum autem [non] habet rationem completi extremi², quaeritur utrum modus motus sit illud quo verbum reponitur in specie partis et distinguitur ab alio. Et videtur quod sic, quia agere et pati et universaliter omne verbum significat ut in motu. Ergo iste modus significandi dat verbo esse specificum.

Item: significare ut in habitu et quiete dat nomini esse specificum in genere partium orationis, ergo significare ut in motu dat verbo esse specificum in genere³ partium orationis, ut videtur.

1-2 in-extremi: om. A. 3 specie A.

Contra: Talis modus¹ reperitur in participio. Significat enim substantiam ut in motu. Ergo non dat verbo esse specificum, postquam alii convenit.

Item: Talis modus significandi videtur esse idem quod agere et pati transitivum et absolutum. Hoc autem est idem quod genus, quod est accidens verbo. Ergo non dat verbo esse specificum.

Dicendum quod illud quod dat verbo esse specificum in genere partium orationis est modus motus inclinabilis² ad substantiam intra vel extra mediante compositione faciente distare extrema³. Et sic tam compositio quam modus motus concurrunt, et neutrum per se sufficit, et hoc convenit omni verbo et a qualibet alia parte orationis ipsum separat.

Ad illud per quod ostendebatur quod modus esset huiusmodi dicendum quod minor simpliciter est falsa, nisi addatur haec determinatio 'essentialiter'⁴.

Vel potest dici quod aliquid potest convenire omni et separare ab omni dupliciter: essentialiter, et sic est <maior> vera, sed minor falsa, vel accidentaliter, et sic falsa maior et minor vera.

Ad illud quod obicitur quod compositio est illud <etc.>; potest responderi quod sine dubio non est causa sufficiens distinguendi verbum a quolibet alio sicut probatur, sed tamen alio modo est compositio in verbo quam in participio. Per hoc patet solutio ad secundam rationem quae sophistica erat. Similiter modus motus non est causa sufficiens circumscripto modo compositionis.

Sed cum isto est notandum quod duplex est modus motus. Unus essentialis verbo qui est in comparatione ad substantiam, cui inest motus ut a qua est. Alius in comparatione ad terminum motus, et hoc est accidentaliter et est idem quod genus, et ille non dat verbo esse specificum.

Notandum etiam quod potest dici secundum Petrum Heliam quod

1 +significandi C. 2 nihil C intelligibilis A. 3 extra A ex necessitate C. 4 om.A.

significare cum tempore, verbali terminatione et esse nota¹ dicendi de altero dat verbo esse specificum et separat ipsum a quolibet alio^A.

5.1.4

Consequenter quaeritur de partibus positis in definitione. Et primo quaeritur propter quid Priscianus definit verbum per esse partem orationis^B, potius quam per esse vocem significativam secundum placitum, logicus vero e converso.

Item quaeritur iuxta hoc quae illarum definitio sit verior et prior, an illa quae ab Aristotele datur in Libro Perihermeneias an ista. Et quod illa, quae datur ab Aristotele, videtur, quia convenit verbo inesse absoluto et per essentialia omnino, et haec convenit verbo inesse relativo tantum et per accidentalialia datur. Ergo est posterior et minus vera.

Ad primum dicendum quod grammaticus considerat verbum principaliter in quantum est constructibile, non est autem constructibile nisi sub ratione partis, et ideo definit verbum et omnem dictionem per esse partem orationis. Sic enim prius fuit definita dictio, ubi dicit quod dictio est minima pars orationis constructae^C. Logicus vero considerat nomen et verbum in quantum est signum passionis in anima² sine³ vero vel⁴ falso ut habetur in I. Perihermeneias^D, et quia haec debetur eis ratione sui generis quod est vox significativa ad placitum, ideo sic definitur.

Ad aliud dicendum quod verbum habet esse duplex, absolutum et relativum sive ordinatum in finem. Aristoteles definit ipsum primo modo, grammaticus secundo modo. Sicut est prius absolutum relativo, sic prior est et verior illa definitio quam ista. Vel potest dici quod quaestio illa non procedit in univoco, et ideo non est ibi prius vel posterius assignare...

1 motus C def.A. 2 +sive simpliciter intellectus C. 3 sive AC. 4 sive A om. C

A P.Helias, Summa MS Paris Arsenal 711 f.18va, ed. De Rijk, Log.Mod.II.1 (1967) p.233. B Prisc.Inst.VIII l.1 (ed.Hertz)GL II p.369,2. C Prisc.Inst.II.III.14(ed.Hertz)GL II p.53,8. D De int.16a 3-4, 11.

5.2.1

Consequenter quaeritur de commendatione praedictae definitionis, in qua dicit quod omne verbum "naturaliter in actione vel passione est"^A. Videtur falsum dicere cum dicit "naturaliter", quia non significat nisi ex institutione.

Item: Videtur quod plura sint verba quae non significant agere vel pati sicut ista 'rubet'¹, quiesco, vivo, spiro' et similia, quorum nullum significat agere vel pati.

Item verbum substantivum et vocativum non significant agere vel pati, et sic definitio quantum ad ultimum membrum continet falsitatem, et commendatio eius similiter.

Dicendum quod agere et pati dupliciter sumuntur, uno modo proprie et transitive, et sic non omne verbum significat agere vel pati, alio modo communiter et absolute ut dicatur significare agere vel pati omne illud quod potest responderi ad quaestionem scilicet² quid agit aut patitur, et sic ista verba rubet, albet, quiescit significant agere vel pati^B.

Item verbum substantivum etsi non significet agere vel pati significat <tamen> iunctum cum participio. Est enim omne verbum significativum agendi vel patiendi sumendo agere vel pati communiter per se vel cum alio quod dicitur propter verbum substantivum. Vel potest dici quod significare agere vel pati vel esse omnino naturaliter in actu vel passione nihil aliud est quam significare modo actionis et passionis, hoc est significare cum tempore et in verbali terminatione et ut de altero dicitur^C, et hoc convenit omni verbo.

5.2.2

Dubitatur tunc specialiter de significato verbi substantivi et quaeritur an significet substantiam, quod non videtur, quia

¹ +albet C. ² per AC.

A Prisc.Inst.VIII.I.1 (ed.Hertz) GL II p.369,5. B P.Helias, Summa MS Paris Arsenal 711 f.18vb e Glossis Guillelmi de Conchis MS Firenze Bibl.Med. Laur.S.Marc.31o f.27va. C cf.P.Helias Summa MS Arsenal 711 f.19rb ed.Hunt, Med.&Ren.Stud. I,2 (1943) p.231.

substantiae proprium est per se stare. Hoc verbum 'est' non significat aliquid per se stans, sed potius inhaerens. Ergo non significat substantiam.

Item: esse est actus entis ut dicit Philosophus, actus autem entis non est substantia sed potius effectus eius. Cum igitur hoc verbum 'est' significet esse, non significat substantiam.

Item: omnis substantia aliquid est. Sed hoc verbum 'est' pure dictum nihil est¹, ut dicit Philosophus I Perihermeneias, consignificat enim quandam compositionem, quam sine extremis non est intelligere^A. Ergo etc.

Contrarium dicit Priscianus in Minori ubi dicit quod verbum substantivum significat substantiam uniuscuiusque^B.

Item: Identitas est substantialis relatio. Sed hoc verbum 'est' notat extrema esse eadem. Ergo notat substantialem relationem.

Item: Omne quod praedicatur de aliquo non accidentaliter praedicatur substantialiter et dicit substantiam eius de quo praedicatur; hoc per se patet ex divisione praedicatorum. Sed hoc verbum 'est' praedicatur de unoquoque non accidentaliter. Ergo praedicatur substantialiter. Minor patet quia esse nullius est accidens.

Dicendum quod hoc verbum 'est' significat substantiam ut est unitiva substantiarum et accidentium substantiae subiectae, ut postea patebit clarius^C.

Ad primum dicendum quod substantia dicitur quattuor modis secundum Philosophum: materia, forma, compositum et essentia sive quod erat unicuique in eo quod quid est^D. Per se stare est proprium substantiae tertio modo, non primo vel secundo aut quarto modo. Talem autem substantiam scilicet compositam non significat hoc verbum 'est'.

Ad secundum dicendum quod actus entis duplex est, unus qui

1 significat A.

A De int.16b23-25. B Prisc.Inst.XVII.XII.77 (ed.Hertz) GL III p.152,8-9.
C cf. infra p.140. D Metaph. V,1017blo sq.

est esse et hoc est substantia, alius qui est operatio, et talis non est substantia. Primum actum significat verbum substantivum; est enim verbum [†]opinativum^{†1} id est extra omnem operationem².

Ad ultimum dicendum quod hoc verbum 'est' dupliciter potest accipi: uno modo ratione merae copulae, et sic sine extremis nihil est actu; alio modo ratione extremi et sic est aliquid gratia significati. Significat enim substantiam ut dictum est.

Sed tunc quaeritur quomodo significet eam, utrum mere significet eam. Videtur quod non, quia substantia significata mere habet rationem suppositi et materiae. Verbum autem substantivum non habet rationem suppositi. Ergo etc. Maior patet quia substantia mere significata est substantia informis vel ut informis, verbum autem substantivum significat essentiam suppositi, et ita non significat suppositum.

Item: Omne significans substantiam mere est pronomen. Verbum substantivum non est pronomen. Ergo non significat substantiam mere.

Item: non significat substantiam mere, quia talis significatio debetur abstractis non concretis. Omne verbum significat quid substantiae concretum.

Item: Si significaret substantiam qualificatam tunc esset nomen, quia hoc est nominis proprium.

Contra: Dicit Priscianus in Minori in illa parte: "Hiis itaque <ita> se habentibus"^A quod male dicitur "sum ego", "vocor ego" ad pronomen referens verbum i.e. significatum verbi, et subiungit causam, quia geminatio substantiae sine qualitate ex eadem parte nihil perfectum generat. Quare vult quod verbum substantivum significet substantiam sine qualitate et ita mere.

Item Petrus Helias supra illam partem: "Male igitur quidam secundam personam etc." dicit: verbum substantivum significat substantiam in prima et secunda persona demonstratione,

1 operativum (?) C. 2 opinionem A.

A Prisc.Inst.XVII,XII 75 (ed.Hertz) GL III p.151,5 sqq.

quae quia subiecta est formis, ipsum quoque¹ verbum eam significans adiungi desiderat nomen, quod ex forma datum est^A. Quare cum substantia subiecta sit substantia mera, videtur quod significet substantiam quae est mera et ita substantiam mere.

Solutio: Ut plane videatur significatio verbi substantivi notandum quod dicit Petrus Helias quod substantia et accidens eius sunt idem secundum actum. Unde cum substantia sit idem cum suo accidente secundum actualem existentiam, hoc non est nisi quia ipsa substantia unit accidentia sibi; et hoc est quod ipse dicit, quod substantia est unitiva accidentium sibi, namque omnia² accidentia recipit sibi copulat et unit^B. Licet ita sit, potest tamen substantia considerari separata ab accidentibus secundum intellectum, et sic significatur per hoc nomen 'substantia'. Potest etiam considerari ut confuse comprehendat omnia accidentia et sic significatur per hoc nomen 'ens'; licet enim ens significet per se loquendo substantiam, nihilominus extenditur eius appellatio ad accidentia propter illud quod substantia habet in se illa. Potest etiam tertio considerari in quantum unit ipsa et copulat omnia sibi tam substantias quam accidentia et sic significatur per hoc verbum 'est'. Et sic patet quod significat substantiam in quantum est unitiva substantiarum sibi et accidentium.

Et quod quaeritur utrum illam significet mere, potest dici quod mere significat illam. Sed substantia mere significata est dupliciter: vel per modum materiae et suppositi, et sic significatur per pronomen; vel per modum formae communis abstrahentis a qualibet forma generali <significata>³ per nomina⁴ propria et communia⁵, et sic significatur per verbum substantivum. Significat enim essentiam uniuscuiusque quae nata est contrahi per quamlibet formam generalem vel specialem, substantialem vel accidentalem per nomen significatam. Et

1 quid A. 2 oratio A +non C. 3 et etiam A et C. 4 per nomina: particulariter C. 5 communi C.

A P.Helias Summa MS Paris Arsenal 711 f.109ra in Prisc.XIII.IV.18(ed.Hertz) GL III p.12,17. B P.Helias Summa MS Paris Arsenal 711 f.19rb ed.Hunt, Med.&Ren.Stud. I,2 (London 1943) p.231.

propter hoc etiam non additur ei pronomen quod solam substantiam, quantum est de vi vocis, demonstrat, ut dicit Priscianus^A.

Significat ergo substantiam mere ita ut non excludatur forma sed distinctio formae particularis vel universalis. Sed pronomen dicitur significare meram substantiam ut excludatur qualitas quantum est de vi vocis, quae cum vi demonstrationis vel relationis certificatur.

Et per iam dicta patet solutio ad omnia, quia primum solvitur per hoc quod substantia mere potest significari dupliciter, ut visum est et uno modo procedit ratio, alio modo non. Similiter solvitur secundum. Ad tertium dicendum quod non significat mere substantiam¹ ut significatur per nomina abstracta, ut albedo, nigredo, sed significat essentiam uniuscuiusque suppositi specialis² per quamlibet formam, ut dictum est...

5.4.1

Consequenter quaeritur de accidentibus in generali, quod fuit quantum propositum, et solet quaeri utrum accidentia verbi insint ei gratia significati principaliter aut ab impositione aut ab intellectu. Et videtur quod a significato, quia participium habet quaedam accidentia verbi, quia habet significatum eius.

Item: Accidentia in natura educuntur de potentia materiae vel subiecti, quare similiter accidentia verbi³.

Contra: Verbum non significat nisi ab impositione, ergo nec consignificat.

Item: Si a significato verbi inessent verbo accidentia sua, tunc nulla⁴ essent accidentia vocis.

Item: Quia naturaliter consignificaret⁵, quod videtur falsum. Propter hoc dicendum quod accidentia verbi consequuntur⁶ verbum gratia aggregati ex voce et significatione sub modo

1 qualitatem C. 2 specialem C fortasse specificabilis. 3 +a natura verbi C. 4 om. A. 5 significaret A. 6 consequitur AC.

significandi generali materialiter, effective autem insunt ei ab intellectu imponente vel instituyente¹. Intellectus enim accipit rem significatam per dictionem sub modo intelligendi tali vel tali, et iuxta illum modum attribuit illi dictioni accidentia. Per hoc patet solutio. Participium enim habet aliqua accidentia verbi, quia convenit cum eo in aliquo modo significandi; sed non habet omnia quia non convenit in modo significandi generali.

Secundum solvitur quia illud proprie habet veritatem in accidentibus naturalibus...

5.4.2

SUFFICIENTIA ACCIDENTIUM VERBI

Ad ultimum dicendum quod omne quod accidit verbo aut inest ei ratione substantiae intellectae in eo, aut a propria natura. Si ratione substantiae, sic sunt numerus et persona, sed differenter, quia ab intellectu substantiae in ratione suppositi ex parte inest persona, ratione eiusdem substantiae in quantum consideratae sub multitudine aut unitate inest numerus, et ideo persona numerum praecedit.

Si vero insit a natura propria, aut ergo principaliter gratia significationis licet aliquo modo gratia vocis, aut principaliter gratia vocis licet aliquo modo gratia significationis; omnia enim accidentia partis orationis consequuntur aggregatum ex voce et significatione². Si primo modo, aut est accidens absolutum et sequitur naturam absolute significati, et sic est tempus quod est accidens accomodatum verbo ad discernendum diversitatem eiusdem actus secundum differentias temporales, ut dicit Priscianus post^A; aut respectivum, et tunc aut inest verbo in comparatione ad subiectum ex parte post, et sic est genus; aut in comparatione ad substantiam ex

1 institutione A. 2 consignificatione A.

parte ante cum quadam animi inclinatione circa rem verbi, et sic est modus, sicut post patebit. Si vero accidit aliquid verbo gratia vocis principaliter, aut igitur est accidens absolutum et commune ad omnia alia, et sic est coniugatio; aut relativum, et tunc aut dicit relationem ad principium a quo vel ex quo; primo modo species, secundo figura. Ista enim sunt accidentia originis et attenduntur principaliter a parte vocis, sicut habitum est in tractatu nominis.

INDEX NOMINUM

- | | |
|--|--|
| <i>Algazel:</i> 11,12,30. | <i>Isaac:</i> 21,30,40. |
| <i>Alpharabius:</i> 42,43. | <i>Johannes Damascenus:</i> 57,58. |
| <i>Anselmus:</i> 52. | <i>Petrus Helias:</i> 34,42,43,52,87,88, |
| <i>Aristoteles:</i> 2,3,4,5,7,9,13,14, | 96,117,122,125,126,127,132,134, |
| 15,17,22,26,27,28,30,31,35,38, | 135,139,140. |
| 41,45,49,51,52,55,56,57,62,64,67, | <i>Plato:</i> 58,61,79. |
| 70,72,74,75,77,81,89,90,96,100, | <i>Priscianus:</i> 34,35,39,41,42,44,45, |
| 101,102,103,108,109,110,111, | 51,65,66,81,82,83,84,85,86,87,88, |
| 112,115,116,130,131,132,134, | 90,93,96,98,101,105,106,107,108, |
| 136,138. | 110,111,115,122,123,125,129,132, |
| <i>Augustinus:</i> 1,2,3,61,64,65,79. | 136,138,139,141,142. |
| <i>Averroes:</i> 10,16,69,82. | <i>Remigius:</i> 98. cf.p.15+. |
| <i>Avicenna:</i> 7,15,16,30,57,77. | <i>Themistius:</i> 75,77. |
| <i>Boethius:</i> 6,7,33,34,68,70,132. | <i>Liber de causis:</i> 69. |
| <i>Dionysius:</i> 69. | <i>Sacra Scriptura:</i> 60. |
| <i>Donatus:</i> 42,43,95,110,111,117, | |
| 120,122,123. | |

INDEX TERMINORUM

(+ marks that all instances are indexed.)

- accidens*: a.dictionis 83. a. reale *exigentia*: 96.
 vs.vocale(nominale)29,121,127,141. *explicito*: vs.implicito 111 n.
+aequivocum: 62,81,112. *figmenta*: 68,113,116.
+analogum: 17,19. *figura*: f.constructionis/locutionis
+appellatum/appellare/appellatio: 96-7.
 90,122,124. *figurativa locutio*: 42,95,98,99.
+appositum: 87,94,97,103. *forma*: f.totius vs. f.partis 111 n.
ars: vs.scientia 28. Nomen significat principaliter f.
+articulatio: 39. secundario aggregatum 111.
+articulus: 106-7. *+Gallica lingua*: 48.see also vul-
bruta: lingua brutorum 57. garis.
cassatio: v.insolubilia. *Graeca*: 42,47,57,107.
+circulus: 56,82. *idioma*: 57,60,81.
+circumstantiae: 107. *idolum*: 54,55.
+communiter loquentes: 61,73,74, *illatio*: 33.
 77,99. *impositio*: quae et quot exiguntur
compositio:c.verbi 129,130,134-5. ad i.75-6. i.prima 77. see also
congruum/congruitas: 32,37-9,90- institutio.
 94,97. *inclinatio*: 97.
consignificatum: = accidentia 94, *insolubilia*: 72,73.
 106,121. *institutio*: rationalis i. non mere
constructio: vs.oratio 91.c.trans- voluntaria 73. i.prima/secunda-
 sitiva/intransitiva 90,91,126. ria 60,76,122.
convenientia: c. proportionis/ *intellectus*: = res intellecta +
 similitudinis 94. modus intelligendi 133. = simi-
copulare/copulatio: 12,127. litudo rei 59. = significatio/
dependentia: 95-7. significatum 67,82,84.
derivatio: 52,60. *+intentio*: = intention 61,66,76,79.
Deus: 69-70,117. i.praedicabilis 19-20. = univer-
ethimologia: 42. sale 82. i.impressa 10,66.= spe-

- cies intelligibilis 56. i.vocis 58,59. i.verbi mentalis 62. communes rerum i.26. i.secunda 77. nomen intentionis 77. = consideratio 65.
- linguarum distinctio*: 60,81.
- locus*: = habitudo rei ad rem 33.
- logica/-cus*: 23,25,33,75 f,85,88 f, 113,124,136.
- +lux*: 17,61.
- minimum*: ex parte vocis/significationis 40,87.
- +modus consignificandi*: 26,29,94-8.
- +modus intelligendi* 102,104,105,116, 118,120,123,131,133,142.
- +modus rei*: 83,84,102,107,113.
- +modus significandi*: 23,24,26,29, 33,39,46,63,91,93-9,101,102, 104,105,113,117,118,128,132-5. m.s.essentialis 97. m.s.generalis 26,83,94,130,131,142. m.s. secundarius 119,120. m.s.specialis 26. m.s. differt ab intentionibus 26. m.s.accidentalis 93,4.
- nomen*: rei/intentionis/nominum 77.
- obiectum*: 63.
- officium*: o.supponendi 133.
- oratio*: intellectus totius orationis 87.
- orthographia*: 42,93.
- ostensio*: 61,62.
- pars orationis*: omnis p.o.significat intellectum respectu orationis 112. p.o.est repertum ad diversimode significandum idem intelligibile vel diversum 104.
- parvuli loquentes*: 16,60.
- perfectio orationis*: 86,97-101,130.
- proprietas*: p.locutionis 96. p.rei 76,121. p.significandi 133.
- proportio*: p.vocis ad rem 76,78. see also convenientia.
- propositiones maximae*: 33.
- quod est*: vs. quo est 114.
- ratio*: a rectitudine vel ratitudine 72.
- scientia*: s. adminiculans 13. s.exitus in esse 23. s.regulans 22. s. subalternans 22,25,26.
- sermo*: in scripto/pronuntiatione/mente 10. s.in communi 18-20. s. interior/exterior 58-9. s.particularis 10,20.
- sibilus*: 65.
- sigillum*: 54,55.
- significare*: s.ex institutione 50 f. actus significandi 4. quae significant vs. quae nata sunt significare 4,5,64. see also modus significandi.
- significatio*: 22,61,70 f,79 f. = species intelligibilis 49. = formale principium sermonis 12. = formationis 79-80. s.principalis/secundaria 127.
- significatum*: = passio animi/intellectum 66. s.verbi = s.nominis 132. s.duplex: res significata + modus significandi 133. = formationis 121. s.speciale 39.
- signum*: s.monachorum 82. s.naturale 2,59,62-3. s.rationale 6.

- s. sanctificans* 2. *veritas signi* 5. *suppositum*: 87, 94, 96, 97, 103, 111.
signum secundum substantiam vs. *ratio suppositi* 116, 117, 139.
sub ratione signi 4. = *s. logica-* *syniuga*: 124.
lia 113, 116. *universale*: 11, 70, 82.
situs: in oratione 132. *urina*: 56.
+species intelligibilis: 49, 53, 55, *verbum*: v. mentale 59, 62.
59, 63, 64, 71, *verificare*: 34.
speculum: 54, 55, 63. *visualis linea*: 25.
spiritalis: 55, 63. *vocetenus*: 101.
subalternatio: duplex s. 26. *vox*: v. exterior sensibilis 10, 59, 62.
subiectum: s. scientiae 36-7. s. vs. v. interior/mentalis 10, 50-3. v.
obiectum 63. habet duplex esse in anima 57. v.
subintellectum: 96. = materiale principium sermonis
substantialis: vs. accidentalis 92. 12. v. litterata articulata 39.
supponere: 97, 122, 133. de vi vocis 111 n., 141.
suppositio: 124, 127. *+vulgaris lingua*: 56, 77, 78, 107.